



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

Liber Tertivs, Qui Est De Contractibus, Ultimis Volvntatibvs, Et De Delictis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

SUMMÆ JURIS CANONICI
LIBER TERTIVS,
QUI EST DE CONTRACTIBUS, ULTIMIS VOLVNTATIBVS,
ET DE DELICTIS.

DE CONTRACTIBVS ET EORVM DIVISIONE.

TITVLVS I.



Contractum vocat Labeo J.C. ultro citroque obligationem, *l. Labeo 19. D. De verb. signif. secutus proprietatem nominis*: quasi contrahere idem sit, quod simul trahere, alterum alteri obligando. Alias usurpatione juris, contractus etiam depositum, precarium, donationem, & similes conventiones continet, quæ utrimque obligationem non pariunt, uti ex sequentibus parebit. Contractum auctores juris dividunt in Nominatum & Innominatum. Nominatus contractus est, qui in certum & distinctum ab aliis contractibus nomen tran-

sit; ut sunt, emptio, venditio, locatio, conductio, commodatum, depositum, mutuum, pignus, fidejussio, & nonnulli alii, *l. 1. § fin. & l. iura gentium 7. circaprise. D. Depact. l. Naturalis 5. D. De prescript. verb.* Quibus & adjiciuntur, precarium, precaria, feudum, donatio, *de quibus inf. juu. tit.* Contractus vero innominatus certo nomine caret; causam tamen obligandi habet, videlicet, dationem vel factum. Horum quatuor genera recensentur, Do ut des; Facio ut facias; Do ut facias; Facio ut des, *de quibus in d. l. iura gentium & tota tit. De prescript. verb.* quod referri potest & permutatio, *de qualib. 3. Ext. & in 6. Permutati. nem autem nihil aliud esse quam contractum (Do ut des) probat Corasius, lib. 2. Miscell. cap. 15.*

DE EMPTIONE ET VENDITIONE.

TITVLVS II.

§. I. Quomodo contrahatur, & quarum rerum.

Emptio & Venditio tunc contrahitur, simulque de pretio conventum, etiam si pretium nondum numeratum, & res nondum tradita sit, *tit. Instit. De empte. in princ. & in §. quam autem.* Sed pretium in numerata pecunia consistere debet, §. pretium Instit. d. tit. *Et l. Emptio C. De contrah. empti.* Qualiscumque autem res emptæ & venditæ, sive mobilis, sive immobilis ea sit, corporalis sive incorporalis, nihil plane interest, modo ea possideri aut quasi possideri possit, *l. Si emptio 34 §. omnium D. eod.* Possidentur proprie res corporales; quasi possidentur res incorporales, veluti sunt hereditas, servitutes, obligationes, actiones, atque his similes, *d. l. 1. Et ibi Glos. in V. corporalia D. De acquir. vel amitt. poss. juncto tit. sup. de rerum divis.*

§. 2. Annuum censum sive redditum recte emi.

Nam & annuus census recte emitur, id est, jus præstandi & solvendi annuum censum sive redditum, *cap. 1. c. 2. De empt. in Ext. com. vide laurus Covarr. Var. resolut. l. 3. cap. 7. Andr. Gail. lib. 2. obsequio 7. Navarr. in Manuali cap. 17. num. 234. cum seqq.*

§. 3. De justo pretio emptionis & venditionis.

Ut autem hic contractus constet, necesse est pretium rei emptæ & venditæ aut justum sit, aut non valde inæquabile; alioqui læsus ultra dimidium justum pretium agere potest, ut vel contractus rescindatur, vel quod justo pretio deest, suppletur, *cap. 3. c. 6. Ext. hoc tit. Et l. 3. C. De rescind. vend. a §. 4. De*

§. 4. De dolo in hoc contractu.

Quod tamen non aliter accipiendum est, quam ubi emptor vel venditor reipsa, id est, circa rei aestimationem, nullo adversarii dolo laesus est. Ceterum, si dolo adversarii interces sit, potest agi vel ad rescissionem contractus, l. Ex empto §. si quis virginem D. De act. empti l. Dolus 10. C. De resc. vend. vel quantum pluris sive minoris res empta vel vendita est, l. Iulianus 13 §. Si venditor D. De act. empti. Etenim iniquum est alteri alterius dolum nocere, & sibi prodesse, l. 1. circa princ. D. De dolo. Nam & huc pertinet illa D. Pauli commoatio, 1. ad Thessal. 4. Ne quis supergrediatur neque circumveniat in negotio fratrem suum.

§. 5. De rebus, quae vendi prohibentur.

Sed quod ante dictum est, quamlibet rem, quae possideri vel quasi potest, venire in emptionis & venditionis contractum, exaudiendum est, nisi jus vel boni mores huic contractui obstant, d. l. Si in emptione §. omnium, Ut hinc Ecclesiasticorum Ordinum, beneficiorum, aliarumque rerum spiritualium nulla sit emptio & venditio, cap. Cum in Ecclesiis 9. & passim Ext. Desmonia, can. Ex multis cum seqq. 1. quaest. 3. Item, nec rei data in dotem vel donationem propter nuptias, ne quidem assentiente uxore, l. unica §. & cum lex C. De rei uxore act. Auth. Sive à me C. Ad SC. Vellejan. §. & illud Novell. VI. immobilia antenupt. don. Nisi duob. casib. qui ibid. continentur, & in cap. 4. Ext. De empt. in cap. Cum contingat 8. Ext. De iurejur. & cap. 2. De pact. in 6. juncto cap. 2. De iurejur. lib. 6. Adde neque iudicium, neque testi testimonium etiam iustum, vendere licere, c. Non licet xi. quaest. 3. c. fin. xiv. quaest.

§. l. Venales 7. C. Quando provoc. non est necess. l. §. 1. & l. Falsipena 20. D. Ad L. Corn. de falsi. tamen Advocato permissum sit vendere patrocinium & Jurisconsulto consilium iustum, d. can. Non licet & d. cap. fin.

§. 6. De re aliena vendita & evicta.

Et licet res aliena vendi non possit ad eum effectum, ut in emptorem dominium transeat, l. 1. l. 6. De rob. alien. non alienan. tamen eatenus valeat venditio, ut si res per verum dominum evicta fuerit, emptori succurratur adversus venditorem in id, quod sua interest, l. Venditor D. De evict. Nisi forte emptor post institutum contra se iudicium omiserit denunciare venditori, ut rem venditam defenderet, aut si propter absentiam suam, sive per injuriam iudicis emptor condemnatus sit. Nam his casibus venditor evictionis nomine non tenetur, cap. fin. Ext. h. tit. l. Emptor 8. C. De evict.

NOTATIO ad Tit. 2.

a Et quamvis hic §. de solo venditore laeso loquatur, idem tamen iudicium est de tempore laeso, ex sententia omnium DD. teste Ario Pinolo ad l. 2. in 1. p. c. 2. Cod. De rescind. vendit. qui §. c. 3. ejusdem l. 2. idem trahit ad reliquos contractus bonae fidei, ob eandem aequitatem; idque receptissimum esse ait; imò & ad contractus stricti iuris accommodat. Excipit tamen transactionem, propter text. in l. Lucius 78 §. fin. D. Ad SC. Trebell. Intellige verò de lesione, non qua dolo adversarii, sed qua ex re ipsa provenit; qua nihil aliud est, quam error circa aestimationem rei; cuius mentio fit in l. Si quis eum aliter 35. vers. idem est D. De verb. oblig. ut & hic in §. seq.

DE LOCATO ET CONDUCTO, ET DE EMPHYTEVSI.

TITULUS III.

§. 1. Quid locatio & conductio; & quot modis contrahatur.

Locatio & Conductio proxima est emptioni & venditioni, iidemque juris regulis consistit. Nam sicut emptio & venditio contrahitur, si de pretio convenierit: ita & locatio & conductio contrahi intelligitur, ubi merces constituta est pro usu alicujus rei, vel opera hominis, text. in l. 2. & l. 29. D. Locati, in princ. Instit. 204. Idque quandoque ad tempus fit, quandoque

in perpetuum, l. Viam 10. C. h. tit. Ad tempus; puta, ad annum, biennium, aut ad aliud majus minusve tempus. In perpetuum; ut, quamdiu merces solvitur, neque ipsi conductori, neque heredi ejus aut alteri, qui eorum in locum successit, auferre liceat, §. aded Instit. 204.

Rrr e

§. 2. De

§. 2. De Emphyteusi.

Verum hic contractus posterior à priori hodie distinctus est ex Zenoniana constitutione, vocaturque contractus emphyteuticus, d. §. ad d. c. l. 1. D. De jure emphyt. In quo tamen & illud permixtum est, ut & ad vitam unius aut plurium, res in emphyteusio dari possit. Novell. 7. de non alienand. aut permut. §. emphyteusio, & Novell. 120. de alien. & emphyt. §. licentiam. junct. l. 1. c. l. 2. C. De jure emphyt. ubi jubentur pacta servari, vide Julium Clar. in §. Emphyteusis quæst. 6. 42 & 43. & Covarr. var. repositus. lib. 2. c. 17 & 8.

§. 3. Casus quibus inquilinus ex domo rictò ejicitur.

Potest in domo conducta eo jure utimur, ut inquilinus ante finitum tempus à domo conducta ejici non possit: nisi dominus domus ob necessitatem (quæ tamen non imminet tempore locationis) eam velit inhabitare, vel reficere; vel si conductor male in domo conducta versetur vel mercedem locationis non solvat per biennium, c. 3. §. 1. Extravag. hoc tit. l. 3. C. eod. (ubi scilicet ad plures annos locatio contracta est. Nam si ad minus tempus, dubium non est, quin statim eod. decurso, conductor expelli possit; vel denique, nisi res conducta alteri ab ipso domino vendita, donata, aut simili titulo translata fuerit. Quibus etiam casibus conductor jure ex re conducta expellitur l. Emptorem 9. C. eod. l. Si merces 28. §. 1. c. l. Qui fundum 32. D. Locati, l. Arborei §. 1. D. De usufr. & jurebus antea alleg. sal. à tamen conductori, hoc postremo casu, actione ex conducto contra locatorem; quod sibi frui re conducta non liceat, d. l. Si merces §. 1. l. Si fundus 36. D. hoc tit.

§. 4. Emphyteuta quibus casibus jure suo privatur.

Receptum est & in emphyteusi, ut si solutio Canonis, id est, pensionis ultra biennium (in emphyteusi scilicet Ecclesiastica) vel triennium (in emphyteusi seculari) ab emphyteuta protracta, vel si ipsa emphyteusis vendita fuerit, nullâ denuntiatione factâ domino; vel denuntiatione quidem factâ, sed non expectato termino duorum mensium, qui domino conceduntur ad deliberandum, utrum oblato pretio velit emphyteusim ad se recipere; emphyteuta ejici possit à domino, cap. fin. Ext. h. tit. l. 1. c. l. 3. C. De jure emphyt. a nisi forte

Celeri satisfactione emphyteuta moram solvendi canonis purgaverit, d. cap. fin. §. fin. d.

§. 5. De remissione pensionis propter sterilitatem.

Ceterum in colono remissio pensionis pro rata rectè petitur, si sterilitas fortuita vel vitio ipsius rei absque culpa ipsius coloni acciderit; nisi cum ubertate præcedentis vel subsequæntis anni (ubi scilicet plurium annorum conductio contracta est) sterilitas compensari possit, c. 2. in princ. Ext. hoc tit. l. Ex conducto 16. §. si vis tempestatis, c. l. Si uno D. Locati c. l. Licet 8. C. eod. aut sterilitas modica sit, quam æquo animo ferre debet colonus, cui immodicum lucrum non auferatur, l. Si merces 29. §. vis major. D. Locati. Diversum est in emphyteuta, cujus periculo cedit sterilitas; tum etiam ipsius rei particularis interitus. At totius rei interitus liberat eum à canone, l. 1. C. De jure emphyt. sicut & si sterilitas anni tanta sit, quod fructus percepti canonem non adæquant; ex benigniore sententia Doctorum, Bart. ad d. l. Alex. conf. 112. lib. 1. ubi latius eum vide §.

NOTATIO in Tit. 3.

a Vbi tamen domini consensu alienatio facta est, solvitur domino quinquagesima pars pretii sive estimationis rei emphyteuticæ, l. 3. vers. & de avaritia c. 1. C. De jure emphyteut. Quæ pars vulgò vocatur Laudemium: quod videtur originem sumpsisse à verbo, Laudo, ut est, nomino, sive certum facio ut in l. 6. §. si tibi iter. D. De act. empti in l. 7. De evict. quasi laudemium nominationis novæ emphyteuticæ sit quoddam premium, de quo latius Int. Clarus in §. Emphyteuticis quæst. 13. junctâ quæst. 15.

b Et hoc in emphyteusi Ecclesiasticæ a expeditum est, juxta cap. fin. Ext. De locat. at in seculari emphyteusi non videtur hac purgatio mora admittenda esse: eò quod in hac triennium prælitatum sit; & sic longius tempus loco purgationis mora merito censetur.

g Hoc in fructibus semper retinendo, ut hi non aliter intelligantur, quàm deductis expensis, quæ querendorum, colligendorumque eorum gratiâ factæ sunt, l. Si a parte 30. §. fin. D. De petit. hered. l. Fructus 7. D. Solut. matrim. & l. 1. Cod. De fruct. & lit. expens. exceptis tamen decimis, sicut meminimus §. illud supra de decimis.

DE COM;

DE COMMODATO, DEPOSITO ET MUTUO.

TITULUS IV.

§. 1. Quare hi contractus re contrahi dicantur.

Commodatum, depositum, & mutuuum, re contrahi dicuntur, l. 1. D. De oblig. & act. ut. Inst. Quib. mod. re contrah. oblig. id est quod non nisi rei presentis interveniunt. Quod non æquè est in emptione, locatione, societate, mandato, quæ solo consensu, etiam re non presente, contrahuntur, ut Inst. De oblig. ex consensu.

§. 2. De Commodato, & in quo distat à locatione & precario.

Commodatum dicitur, quasi cum modo datum, scilicet ad certum & præscriptum usum, idque gratuitò. Nam mercede interveniente locatio est, §. commodata Inst. Quib. modis re contrah. oblig. aut si ad non certum tempus & præscriptum usum datum sit, in precarium incidit, l. 2. l. 4. D. De precario. Atque hinc commodatum non nisi expleto usu revocatur, cap. unico Extravag. De commod. precarium verò quandoocumque, l. 1. & 2. D. De precar. junge Inst. de precar.

§. 3. Quid in commodatum veniat.

Et cum commodatum commodatari tantum gratià contrahi soleat, idcirco, si res commodata, commodatari culpà etiam levissimà, interierit, aut deterior facta fuerit, rectè eò nomine commodatarius convenitur, d. cap. unic. junctà l. Si ut certo §. §. commodatum D. Commod. & §. 2. ejusd. leg. ubi & elegans distinctio traditur, in quibus contractibus dolus, culpa & periculum veniant.

§. 4. De Deposito, & quid veniat in depositum.

Est autem depositum, quod custodiendum alicui datum est: dictum ex eo, quod apud alium depositum sit: Præpositio enim de augeat positum, ut ostendat totum fidei ejus esse commissum, quod ad custodiam rei pertinet, l. 1. in princ. D. Depositi. Et quia depositum deponentis gratia contrahitur, idcirco depositarius de solo dolo tenetur, §. præter Inst. Quib. modis re contrah. oblig. l. Contractus D. De reg. jur. qui eà specie præsumitur, cum depositarius circa rem depositam non eandem, quam suis rebus, diligentiam adhibet, c. 2. in princ. Extr. De depos. l. Quod Nerua 32. D. Depos.

§. 5. Depositarius quando culpa nomine tenetur, & quid de casu fortuito.

Interdum tamen depositarius & culpæ nomine rectè convenitur, ubi scilicet ultro se deposito obtulit, aut quid pro custodia accepit, aut cum eo conventum fuit, ut culpam præstaret, d. cap. 2. l. 1. §. si convenias D. Depos. Casum verò fortuitum numquam præstat depositarius, nisi id convenierit, vel culpà sive morà ipsius casus acciderit, d. cap. 2. & d. l. 1. §. si convenias, & l. Contractus D. De R. I.

§. 6. Depositum semper repeti potest.

Depositum pro arbitrio deponentis semper revocari potest, nullà etiam admissa compensatione aut deductione, propter bonam fidem, quæ in hoc contractu uberior est, quàm in cæteris contractibus, d. cap. 2. & d. l. 1. §. est autem, junctà l. penult. Cod. Depos. & l. fin. C. De compens. Est autem compensatio (ut obiter hoc inferam) debiti & crediti inter se contributio, l. 1. D. De compensat.

§. 7. Ecclesiam nomine Clerici depositarii vel mutuuum accipientis conveniri non posse, nisi in rem Ecclesie versum sit.

Potèd cum depositum, alique contractus non pariant obligationem, nisi inter ipsos contrahentes, l. 3. Cod. Ne uxòr pro marito, l. Si & me 2. D. Si cert. petat l. 1. in princ. D. De pact. frustra Ecclesia convenitur propter rem apud Clericum Ecclesiæ depositam, vel mutuuum ab eo acceptam: nisi fortè ex ea quid in utilitatem Ecclesiæ versum probeatur, quo casu quatenus versum est, Ecclesia tenetur, cap. 1. Extr. De depos. cap. penult. Extr. De fidejussor. ne locupletetur cum alterius injuria, l. Nam hoc natura D. De condic. indeb.

§. 8. De mutuuo.

Quod ad Mutuum attinet, contrahitur mutuuum, cum rem alteri damus, ut ejus fiat, recepturi aliam ejusdem generis & bonitatis, l. in princ. D. Si cert. pet.

§. 9. In quibus rebus consistat mutuum.

Quod fieri non potest, nisi in rebus, quæ mutuam functionem recipiunt, hoc est, quæ numero, pondere vel mensurâ constant. Nam in aliis rebus ideo in mutuum non igitur, quod aliud pro alio solvi non potest, iavito creditore, d. l. 2, §. 1. Si quidem in aliis rebus cadit affectio.

§. 10. De pacto vel stipulatione adjecta mutuo.

Et cum mutuum re contrahatur, profectò conveniri non potest, ut plus, quam datum est, reddatur, puta, undecim pro decem, l. Rogasti 11, §. si tibi dederò D. Si cert. pet. ne quidem accedente stipulatione; cum hæc res in usuram incidere, non solum jure Canonico, sed & lege divinâ improbatam, cap. Consuluit 10, Ext. De usur. de quò latius inf. tit. de usur.

DE PRECARIIS.

TITULUS V.

§. 1. Quid Precarium, & in quo conveniat cum Commodato, & ab eodem distet.

Precarium est, quod precibus petendi utendum conceditur, tamdiu, quamdiu is, qui concessit, patitur, l. 1, in princ. D. De precario. Convenit cum Commodato in eo, quod dis, qui commodat, etiam permittat uti re commodatâ, d. l. 1, §. fin. Distat verò, quod Precarium ad certum tempus & præscriptum usum non detur, commodatum contra, §. 1. sup. de commod. vide Covar. Var. resol. lib. 3, cap. 15, num. 7.

§. 2. Tempus certum precario adjectum rejicitur à precario.

Hinc aliàs quæsitum fuit: Si precarium ad certum tempus, veluti, ad Calendas Januarias concessum fuerit, an precario possidens in eum diem se tueri possit, ne ante ab eo res avocetur? Et responsum est, nullam vim esse hujus conventionis; cum adjectum tempus naturæ precarij repugnet, l. Cum precio 12, D. De precar. & cap. fin. Ext. eod.

§. 3. Ad quid tenetur precario possidens.

Quò etiam fit, ut propter hanc liberam revocationem. Vbi scilicet indefinitè conceditur precarium; aliàs si in certum usum, esset commodatum.

cationem concedentis, is, qui precario possidet, non tenetur ultra dolum & latam culpam, quæ dolo proxima est, l. Quasitum 3, §. Et illud annuatur cum §. seq. D. eod.

De precaria.

Extat & hoc jure Canonico contractus precariæ, quo pro re donata Ecclesiæ donatori in vicem, tripulum vel duplum in usum fructum redditur ab eadem Ecclesiâ, juxta decisionem can. Precaria x. quas. 2. Unde pro arbitrio concedentis non revocatur precaria, sed expirat morte accipientis, cap. fin. in fine Ext. hoc tit. juncto il. cum. Precaria: dummodò precaria rationabiliter facta sit; alioqui à concedentis successore impunè revocatur, can. De precariis d. qu. 2, & cap. 2, Ext. eod. vide Pat. norm. & alios Ext. in hunc tit. De quinquennio autem in quinquennium precariæ revocatio fieri jubetur, cap. 1, Ext. hoc tit.

NOTATIO in Tit. 5.

b. Videtur hujus precariæ vestigium extare apud Justinian. §. si verò aliquis, Novell. 110, de alien. & emphyt.

DE FEVDIS.

TITULUS VI.

§. 1. Feudum quid?

Feudum est beneficium, quod ex benevolentia ita datur alicui, ut proprietas quidem rei immobilis beneficiatæ penes dantem maneat, usufructus verò illius ita ad accipientem

transcat, ut ad eum hæredesque ejus masculos, si ve fœminas (si de his nominatim sit dictum) in perpetuum pertineat: ad hoc, ut ille & hæredes ejus fideliter domino servant; si ve servitium illud

lud nominatim, quale esse debeat, sic expressum, siue indeterminatè sic promissum, c. 1, § beneficium iii. In quib. casib. feudum amit. 2, F. 27, a

§. 2, Quibus permittitur est Feudi concessio

Et Feudi quidem concessio unicuique laico permittitur, qui liberam rem suam administrationem habet, cap. 1, Per quos fiat invest. junct. l. In re mandata. 2. Cod. Mandati. At in Ecclesiasticis contra est, cap. unico De reb. Eccles. non alien. in Extravag. com. c. 2, Ext. De locato, cap. Episcopum vel Abbatem, F. 6, præterquam si feudum legitime semel constitutum, juxta §. neque sup. De reb. Eccles. non alien. ad Ecclesiam morte Vasalli redierit: qua specie Prælati ejusdem Ecclesiæ potest idem liberè alteri conferre in feudum; dommodò id ex re Ecclesiæ futurum arbitretur, cap. 2, Extravag. hoc tit. Item si à Vasallo illicitè alienatum fuerit feudum, & sic ipso jure commissum, potest Prælati idem feudum alteri dare etiam filio vel consanguineo ejusdem Vasalli. Quod & meritò observatur, ubi feudum alienatum difficile recuperatum est; ut & hoc casu possit Prælati alteri potentiori feudum cedere; qui idem à se revocatum ab Ecclesiâ recognoscat, d. cap. 2, b Neque dubium est, in propriis bonis, id est, prospectu suo, non Ecclesiæ acquisitis, posse Clericum feudum constituere, cap. 1, in princ. De clerico qui investituram facit 2, F. 35, cum hæc à bonis laicorum minimè distent, cap. Quia nos 9, cap. Relatum 12, circa fin. Ext. De test. can. Quicumque XII. quæst. 3.

NOTATIO IN Tit. 6.

a Hac descriptio ex hbris Feudorum desumpta, etsi plerisque prolixior videatur, tamen Feudi naturam rectè explicat, prout communiter Feudum concedi solet; & in dubio ita concedi intelligitur. Unde hac descriptione non continentur feuda, quæ singularem naturam habent: qualia sunt feuda Castaldia, & Guardia, & qua loco mercatus dantur; de quibus in cap. 1, de feudo guardia & castaldia 1, F. 2, Adde & consuetudine loci & conventionem inter dominum & vasallum, ab hac natura feudi quandoque discedit; ita tamen, ut qua in parte discessum non est, retineant tamen in cetero communem naturam feudi, cap. 1, de feudo non habente propt. dat. 2, F. 48, & cap. 1, §. feudum ea lege, Si de feudo defun-

cti, 2, F. 26, Nomine autem ususfructus in descriptione, non venit ususfructus proprie dictus (nisi qui feudum ad hæredes non transfret, §. finitar, Inst. De usuf.) sed utile dominium siue omnis utilitas rei feudalis perpetua. Quod verò ad benevolentiam attinet, ea non strictè accipienda est, quasi debeat esse mera & omnino gratuita sed sufficit eam habere aliquam rationem beneficii siue benevolentia, arg. l. Titius 1, D. De obseq. à liber. Unde absurdum non est, Feudum pecunia aut alia re comparari posse, cap. 1, De investitura in mar. fact. 2, F. 15, cap. 1, Quænammod. feud. ad aliam pert. 1, F. 24, cap. 1, De natura feudi, F. 7, & cap. 1, De benef. fratri, 1, F. 10, dummodò id fiat benevole & cum gaudio accipientis; cap. 1, §. beneficium In quib. caus. feud. amit. 2, F. 15, Rei immobilis appellatione continentur non solum res soli, sed etiam quicquid solo coheret, ut sunt domus, vineæ, arbores in superficie soli constituta. Item ea, quæ inter mobilia rediguntur: veluti, cum de camera, id est, arario vel de caverna, id est, de penuario, horreo, vel cellario feudum conceditur, cap. 1, §. sciendum De feudi cognit. 1, F. 1, vel etiam ex annuis redditibus; nam & hi inter mobilia recensentur, cap. Exivi §. cumque annui De verb. signif. in Clement. Item immobilium loco sunt, Regnum, Ducatus, Marchia, Comitatus, Iurisdiclio, quæ similiter in feudum rectè dantur, cap. Pastoralis De re judicata in Clem. cap. 1, Quis dicatur dux 1, F. 10, cap. 1, De feudo March. 1, F. 4, & cap. Si diligenti 17, Ext. De præscript. Quo verò ad hæc verba descriptionis, ut ad eum hæredesque suos masculos: hæc significatur, in materia Feudali hæredum appellatione non contineri feminas, nisi nominatim de his dictum sit Probat etiam textus in c. 1, §. similiter verb. profectò De lege Corradi 1, F. 34, Unde mihi semper suspecta visa fuit Doctorum distinctio inter feudum ex pacto & providentia, & hæreditarium feudum, Andr. Gail. l. 2, obser. 154, & Did. Covar. Var. resolut. lib. 1, c. 18, num. 4.

b Licet textus in cap. 12, Ext. de feud. quo prædicti tres casus textus nostri continentur, disertè loquatur de Episcopo idem tamen pertrahendum est ad reliquos Prælatos Ecclesiarum; cum nullam diversitatis rationem videamus. Vide qua hæc de re scripsi in i. Clarus in §. Feudum qu. 13, Nos brevitate, quantum possumus, consulimus.

DE DONATIONIBVS.

TITVLVS VII.

§. I. Donatio sola liberalitate constat.

Donationis contractus solâ liberalitate constat; cum quis ob nullam aliam causam dat, quàm ut liberalitatem & munificentiam exerceat. In quo si intervenerit rei traditio, statim ea sit accipientis, *l. 1. in princ. l. 6. D. hoc tit. si minus*, agitur ad rei traditionem, conditione certâ, si stipulatio intercessit; alias conditione ex lege, *l. Si quis argentum 35. C. eod.* Quamvis de jure Canonico nomen donationis exprimere necesse non sit, *c. Dilecti 6. Ext. De judic.*

§. 2. Donatio nonnumquam præsumitur.

Interdum hæc donatio præsumitur, eâ specie; cum quis prudens nullo jure cogente aliquid dat, *l. Donari 29. D. eod.* Cujus enim per errorem dati repetitio est, ejus consultò dati donatio est, ut habet juris regula, *l. 54. D. De R. l. 1. De condit. indeb.*

§. 3. De insinuatione donationis.

Sed videndum est, ne donatio quingentos solidos excedat; alioqui quod supra hanc summam erit, Magistratui insinuandum est. *l. penult. junctâ l. 34. C. hoc tit.* nisi donatio in redemptionem captivorum, vel in refectionem ædium ruinâ aut incendio consumptarum conficiatur. *l. penult. vel à Principe privato*; sive è contrâ, *l. Sancimus 34. C. Auth. Item Cod. eod.* vel à magistris militum ipsis militibus fiat, *l. l. pen.* Nam his casibus donatio cujuscumque quantitatis, insinuatione non eget, jam ad jurib.

§. 4. De his qui donare non possunt.

Non tamen omnibus donare permissum est, etiam si rerum suarum domini sint: non enim minoribus xxv. annis, *§. nunc admonendi Instit. Quib. alienare licet*: non conjugibus inter se, *loto tit. D. C. Cod. De donat. inter vir & ux.* neque invicem parentibus & liberis in potestate eorum constitutis, *l. Cum de 9. Cod. De donat. l. Donationes 25. C. De donat. inter vir & ux.* Quamvis his duobus posterioribus casibus, donatio morte donatoris convalescat, *l. l. Donationes, cap. fin. Ext. eod. tit.* imò & donatio illa parentis in filium, emancipatione confirmatur, *l. Sive 17. C. h. t. l. 2. C. Si quis alteri vel sibi.*

§. 5. Prælati Ecclesia an donare permissum.

Et cum nemo plus juris in alium transferre possit, quàm ipse habet, *l. 54. D. De R. l.* rectè sequitur, Prælatos Ecclesiarum (cum rerum Ecclesiasticarum non domini, sed procuratores sint, *cap. 2. Ext. hoc tit.*) rem Ecclesiæ alteri donare non posse: præterquam si datæ rei quantitas, & loci consuetudo à sacris Canonibus non improbatâ donationem patiatur, *cap. 3. C. ibi laicus Doct. Ext. eod. Facit l. Filiusfam 7. D. hoc tit. l. Cum plures 12. §. cum tutor D. De administr. C. peric. tit.* aut si Episcopus Ecclesiæ sive monasterio extruendo donationem faciat, *juxta decisionem text. in cap. penult. Ext. hoc tit. juncto can. 74. Bona rei xii. q. 2.*

§. 6. Casus quibus donatio revocatur.

Et licet donatio semel legitime facta retractari non possit, ne quidem rescritto Principis, *l. Si donationem 5. Cod. De revoc. donat.* jure tamen obtentum est, ut, si donatarius ingratus fuerit in donatorem suum, videlicet, impias manus, vel atroces injurias, vel grave damnum illi inferendo, vel insidiando vitæ ipsius; donatio à donatore, non verò ab ejus hærede revocari possit, *cap. fin. Ext. hoc tit. l. fin. Cod. De revoc. donat.* Imò, & si modo donationi adjecto satisfactum non erit à donatario, impunè res donata repetitur, *l. fin. C. d. tit.* Idque in donatione privato facta. Nam quæ Ecclesiæ facta est donatio, non revocatur ob modum non impletum, sed ad ejus impletionem agitur: nisi modo adjecta sit clausula revocatoris, hæc vel alia similis: Et si modo adjecto paritum non fuerit, res donata repetatur, *cap. Verum 4. Ext. De condit. appof.* Sed & eorum sententia non improbabilis est, qui donationem omnium vel partium bonorum revocari posse contendunt, propter liberos postea à donatore susceptos, *per text. in l. Si unquam 8. C. De revoc. donat. vide ad eandem l. Tiraq. C. Gomezium Var. resol. lib. 2. cap. 4. num. 11. adde can. fin. xvii. q. 4.*

§. 7. De aliis generibus donationum.

Loquimur autem in præsentî de donatione simplicî, quæ propriè donatio dicitur; non quæ

fit ob causam, qualis est donatio causa mortis, dotis, propter nuptias, & remuneratoria.

§. 8. De donatione causa mortis.

Donatio causa mortis fit ob suspicionem mortis imminens, etiam ab eo, qui alioqui firmæ valetudinis est, l. 3. cum illi seqq. D. De mort. caus. donat. Et insit. De donat. in princ. ejusque effectus post mortem donatoris confertur, l. Non videtur 23, D. De mort. caus. donat. inlar legaci, l. Illud 37, D. jam à tit. l. fin. Cod. de donat. caus. mort. Revocatur verò tribus ex causis, I. Si donator convalescit, II. Si donatarius prior ante donatorem deceaserit, III. Si donatorem pœntuerit donationis, d. tit. Insit. in princ. l. Non omnis 16, circa princ. D. Si cert. pet. l. Qui mortis 30, D. De mort. caus. donat.

§. 9. De donatione dotis, propter nuptias, & remuneratoria.

Donatio dotis fit marito ab uxore, vel hujus nomine à parente, vel ab alio, pro sustinendis oneribus matrimonii, l. Pro onerib. 20, & passim C. De jure dot. l. unica C. De rei uxore act. l. fin. C. De donat. ante nupt. Unde constante matrimonio repeti non potest; nisi maritus facultatibus suis labatur, l. Si constanti 25, D. Solutio matrim. l. Vbi 29, C. De jure dot.

aut bona sua fisco inferantur, l. Si marito 12, D. Sol. matrim. l. 1, C. De repud. adde Novel. Vt lic. matr. §. quia verò plurimas & causas, & casum in l. Quæmadmodum 57, Sol. matr. Donatio propter nuptias contra constituitur mulieri à marito, vel ab alio ejus nomine, respectu dotis, l. fin. cum Auth. Ed. de cursum C. De donat. ante nupt. Remuneratoria verò in vicem præstiti officii fit: atque idcirco irrevocabilis est, l. Attilius 27, & l. Si pater 35, §. fin. D. De donat.

§. 10. Dos & donatio propter nuptias quibus casibus revocant, aut lucro cedant alteri conjugum.

Ut autem soluto matrimonio dos ad mulierem, ita & donatio propter nuptias redit ad virum; nisi de consuetudine aliter obrineat, aut pactum de lucranda dote, vel donatione propter nuptias, quod utrimque æquale est, intercesserit, cap. fin. Ext. De don. inter vir. & ux. adde Novel. 97 de equal. dot.

NOTATIO in Tit. 7.

a Intellige primam revocationis causam, cum in infirmitate facta est donatio, de quo Lucius Pet. Costal. ad l. Non omnis 19, D. Si cert. pet.

DE RERVM PERMUTATIONE.

TITVLVS VIII.

§. 1. Qua res permutabletur.

Permutari dicuntur res, cum una pro alia datur & accipitur, domini transferendi causa. Et id quidem propriè, l. Naturales 5, §. 1, D. De præscr. verb. l. 1, §. fin. D. De rer. permut. cap. 1, Ext. hoc tit. Vide sup. de reb. Eccles. non alien. Et enim hoc jure & beneficia Ecclesiastica rectè inter se permutari dicuntur, passim hoc tit. Ext. & in 6, & in Clement. quorum tamen apud Clericos nullum dominium est, sed sola administratio, cap. 2, Ext. De donat. Et de his dumtaxat hic dispiciamus.

§. 2. Beneficiorum permutatio ut permessa sit.

Et quidem beneficiorum Ecclesiasticorum permutatio à jure improbara est, si ea privarâ auctoritate permutantium fiat, cap. Majoribus 8, Ext. De præben. cap. Quasitum 5, Ext. hoc tit. ad eod. quod uterque permutatis beneficiis privari possit, cap. Cum olim 7, Ext. hoc tit. Igitur auctoritate Episco-

pi opus est, in cujus manus beneficiorum prius resignatio fiat; deinde ab eo utrimque alteri alterius beneficium conferatur, cap. unico hoc tit. in 6, & in Clem. juncto d. cap. Quasitum. Ubi tamen eorum collatio vel presentatio ad alium spectat, etiam illius consensus exquiratur, juxta cap. Quod omnes De reg. jur. in 6, l. fin. Cod. De auct. præst. cap. Ad hac, cap. 7, in fine Ext. De offic. Archidiacon. Vide latius Egid. Bellameram. in 2. p. qu. 8, & in 4. p. r. tot.

§. 3. Beneficia ex causa permutationis vacantia alteri tertio conferri non debent.

Quod si verò Episcopus hujusmodi beneficia ex casu permutationis resignata sibi, tertio alicui conferat, nullius momenti erit hæc collatio, cap. unico eod. tit. in Clem. etiam si hic tertius auctoritate Sedis Apostolicæ expectabat primum beneficium vacans: cum beneficia illa non simpliciter

§§§

vaccat,

vacent, sed cum causa permutationis, *cap. unic. eod. in 6.*

§. 4. *Permutationi beneficiorum nihil temporale admiscendum.*

Cavendum tamen est, ne quid temporale permutationi beneficiorum admisceatur. Incideret enim hæc res in simoniam, *d. cap. Quasitum.* Unde consultus Clemens III. an Ecclesia parochialis cum altera permutari possit, attributis utriusque possessionibus; respondit, id quidem fieri posse, dummodò Ecclesiæ & possessiones separa-

tim inter se permutentur. Verba rescripti hæc sunt: Respondemus, quòd cum de dictis parochialibus Ecclesiis per se queat commutatio celebrari, & in permutatione possessionum, per se non sit inhibicum: si altera, ratione possessionum, alteri præponderet, pecuniam posse refundi de ipsarum possessionibus ad invicem, prout visum fuerit expedire; refusa certâ pecunie quantitate, poterit contractus permutationis iniri: sic tamen quòd illi contractus nequaquam sibi invicem misceantur, *text. est in cap. Ad questionem 6. Ext. hoc tit.*

DE PIGNORIBVS ET FIDEIVSSORIBVS.

TITULUS IX.

Contractus pignoratitius, sicut & fidejussorius, accessorius est ad alios contractus: cum uterque ad horum securitatem adhiberi solet. Pignus quidem rei fidejussio personæ accessione contrahitur, *§. fin. in verb. quòd magis ei in tut. Instit. Quib. mod. re contrah. oblig. l. 1. & l. 2. D. De fidejuss.* quamvis & plurium rerum, etiam bonorum omnium, pignus, *l. 1. Cod. De pignor. l. Si generaliter 6. Cod. Qui potior. in pig. hab. & fidejussio multarum etiam personarum iniri possit, §. Si plures Instit. de fidejuss. l. Inter 27. cum l. seq. D. eod.*

§. 1. *Pignus ut contrahatur.*

Pignus vel nudâ conventionione constituitur, etiam si rei traditio non fiat, *l. 1. D. De pign. act.* Ubi tamen & rei traditio intervenit, propriè pignus dicitur, inspectâ notione nominis: alioqui sine ea propriè hypotheca est, *paragr. item Serviana Instit. de act. l. Sirem 9. paragr. propriè D. De pig. act.*

§. 2. *De usu pignoris.*

Pignus igitur ubi traditum est, creditori uti eo non licet, si in remobili consistat pignus, *l. Si pignoro 6. D. De furt. §. furtum Instit. de oblig. qua ex delicto; in immobili, utitur quidem creditor, l. Creditor 2. D. De pignor.* cum utendo magis hoc pignus consecratur, *l. Non intelligitur 3. §. divi fratres D. De iure fisci. l. Singularium Cod. De adif. privat.* autamen fructus ab eo perceptos, & qui percipi poterant, usque cum damno dato in re, in executione mortis imparet, *l. 1. & l. 6. Cod. De pig. act. cap. Cum contra 6. Ext. De pignorib.* Quippe pignoris contractus bonæ fidei est, ac proinde in eo

ex æquo & bono agitur, *§. actionum autem Instit. De act.*

§. 3. *Pactum de lucranâ fructibus pignoris non valet.*

Unde hæc conventio in pignore non admittitur; ut fructus pignoris tandiu cedant lucro creditoris, donec fors, id est, debitum exsolutum fuerit; quod pactum à Marciano J.C. *d. 17. §. 1. §. 2. dicitur, adeoque usurarium est, per text. in cap. 1. & 2. Ext. De usur. cap. 4. & cap. 6. De pignorib. junge omnino §. 1. in §. de usur. ubi casus excepti referuntur. sive potius declaratur, in eis usuram cessare.*

§. 4. *Pactum legis commissoria improbatum in pignore.*

Nec hæc conventio permittitur in pignore; ut, si intra certum tempus pecunia non reddatur, pignus in solutum cedat creditori: quam conventionem vulgò vocamus pactum legis commissoriae, *cap. Significante 7. Ext. de pignorib. l. fin. C. De pactis pig.*

§. 5. *De pignore pignori dato.*

Non prohibetur autem creditor rem sibi pignori obligatam, iursum alteri dare in pignus; ita ut non solum retentio, sed & utilis actio hypothecaria eo nomine competat posteriori creditori adversus debitorem principalem. Priori tamen creditori solvens debitor etiam à posteriore creditore liberatur, *ut Cod. Si pignus pig. datum, l. Grægo 13. §. cum pignori D. De pign. cap. Cum contra 6. Ext. eod. nisi posterior ante denunciaverit debitori*

bitori rem sibi obligatam esse, l. *Nomen* 4, C. *Qua res pig. oblig. poss. juncta* l. 3, Cod. *De novat.*

§. 6, *De fidejussione.*

Ad fidejussorem quod attinet, hæc stipulatione contrahitur, l. *Blanditus* 12, Cod. *De fidejussorib.* l. 5, §. *satis acceptio* D. *De verb. oblig.* a & cujusvis generis obligationi, etiam quæ ex delicto venit, adhiberi potest, l. 1, l. *Græcæ* 9, §. *sed et si ex delicto* D. *De fidejuss.* Et eod. tit. *Instit. princ.* dummodo tale delictum sit, quod corporalem poenam non persequatur; nam huic frustra adhibetur fidejussor, cum nemo membrorum suorum dominus sit, l. *Liber homo* 13, D. *Ad leg. Aquil. can. Si non licet* xxiii. *quæst.* 1.

§. 7, *Duplex genus fidejussorum.*

Solet autem fidejussor duobus modis intercedere: aut simpliciter fidem suam interponendo in id, quod debet principalis; aut quanto minus creditor à suo debitore consequetur: & hic fidejussor indemnitatis dicitur, qui & idcirco à creditore antè conveniri non potest, quàm reus excussus fuerit, l. *fin.* Et ibi DD. D. *Si cert. per. prior* autem antè conveniri potest, sed cum beneficio *Auth. Præsentis* C. *De fidejussoribus.*

§. 8, *Fidejussor quando liberetur, Et agere possit ut liberetur.*

Ubi autem fidejussor solvit creditori, aut aliter illi satisfecit, habet ad repetendum mandati actionem, §. *Si quid autem Instit. De fidejuss.* l. *Inter* 26, §. *Si is qui D. Mandati.* Neque enim antè agere

potest, cum & ad solvendum sumptus intelligatur, l. *Indebitam* 47, D. *De condic. indeb.* nisi forte aliter inter eum & debitorem convenit, aut condemnatus fuerit fidejussor, aut debitor solutionem diu extraxerit, sive bona sua dissipare cœperit. Nam his casibus rectè agit fidejussor contrarium, ut eum liberet ab obligatione fidejussoria, cap. *fin.* *De fidejussor.* l. *Si pro eato* C. *Mandati*, l. *Lucius Titius* 38, D. *Mand.*

§. 9, *Clerico interdicitur, ne fidejubeat.*

Illud constitutum est in Clericum à Concilio Cantuariensi, ut is fidejussoribus inserviens à clero submoveatur, cap. 1, *De fidejuss.* licet ab eo facta fidejussio valeat, cap. 2, c. 3, eod.

NOTATIO in Tit. 9.

a *Sed an solâ stipulatione quod putat Bald. ad c. 1, num. 9, Ext. de pact. negans pacto nudo fidejussorem contrahi; nisi apud acta, per l. Cum ostendimus 4, §. fin. D. De fidejuss. tutor. Eandem sententiam tenentur Inson, ad l. Stipulationum 5, §. satis acceptio D. De verb. oblig. ubi Et rationem reddit, Et quasnov limitationes adfert. Verum Felinus ad d. cap. 1, nu. 145 dubius hæret, propter cap. 3, Ext. De pact. ubi simpliciter dicitur: Studiosè agendum est, ut ea quæ promittuntur, opere compleantur. At promissio etiam nudum pactum continet, l. Sciendum 19, §. vi, D. De ædil. edicto, Ex quo æquius Et certius videtur quod est de jure Civili regulariter fidejussio nudo pacto non contrahatur; secus tamen esse de jure Canonico, quo ex pacto nudo actio, aut saltem officium Iudicis ad complendum pactum, competit. Eleganter Panorm. ad d. c. 1.*

DE TESTAMENTIS ET VLTIMIS VOLUNTATIBVS.

TITULUS X.

§. 1. *Testamentum quid.*

Testamentum est voluntatis nostræ iusta sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit, text. in l. 1, D. *De testam.* Iusta, inquam, id est, perfecta. (sicut iusta vocatur ætas, id est, perfecta, in l. *Quod Servius* 8, D. *De condic. caus. dat.* §. 1, *Instit. De fideicom. hered.* §. ante *heredis Instit. De legat. l. fin.* D. *De jure codicil.*) quæ & hæc redi institutionem continet. Nam hæc basis & fundamentum est testamenti, ad eod quod sine ea testamenti causa corrumpat.

§. 2, *Codicilli Et donatio causa mortis inter ultimæ voluntates referuntur.*

Inter ultimas voluntates referuntur & codicilli, & donatio causa mortis, l. *fin.* C. *De donat. caus. mort.* l. *fin.* C. *De codicil.* Illi minus perfecti sunt, quàm testamentum; cum hæredis institutio nec non contineant, saltem directam. Nam per fideicommissum hæreditas rectè quoque in codicillis relinquitur, l. 1, Et l. *Si idem* 7, C. *cod.* quemadmo-

dum & legata, fideicommissa singularia, tutela datio, aliq̄ re ejusdem generis, ut *Instit. De singul. reb. per fideicom. vel. l. 2, §. codicillorum & l. fin. D. De jure codicill. & l. 3, D. De testam. tue.* Donatio verò causâ mortis, tamen si eam alibi inter contractus retulerimus, *sup. tit. de donat. §. 1, & probat l. Inter 38, D. De mort. causa donat.* non minus tamen rectè in ordinem ultimarum voluntatum redigitur; quòd ejus effectus, instar legati, *l. 1, in fine C. De donat. caus. mort. post mortem conferatur, l. Non videtur 32, D. De mort. caus. donat.*

§. 3. Quotuplex testamentum.

Testamentum aliud scriptum, aliud non scriptum sive nuncupativum est: utrumque vel paganicum, vel militare. Paganicum testamentum, id est, ejus, qui miles non est, regulariter septem testes requirit, eosque rogatos, ut latius videre est apud Juris civilis auctores, *tit. Instit. De testam. & l. Hac consuetissima 21, l. Libemus 29, C. eod. & Nov. de testam. imperfect. l. pen. D. De testam.* Militare verò, id est, militis, nullam solèmnitatem desiderat; quoquo enim modo de militis suprema voluntate sive scripta, sive non scripta, constet, valet ejus testamentum, *l. Ex Testamento 5, l. Milites 15, Cod. De testam. mil. & tit. eod. Instit. in princ. dummodò illud in expeditione factum sit.* Post missionem enim aut extra castra licet adhuc militet, solèmnè jure eum testari oportet, *l. penult. Cod. d. tit. §. 1, & §. sed hætenus Instit. eod.*

§. 4. A solemnitatibus testamenti decessum sit per Ius Canonicum, & in legato rectè Ecclesia quot testes sufficiant.

Illud verò receptum est apud sacros Canones, ut testamentum coram proprio Presbytero & tribus vel duabus aliis personis idoneis confectum valeat, etiam si aliis solemnitatibus juris civilis destitutum sit, *text. est in cap. Cum esses 10, Ext. De testam. a Immo, & si quid relictum fuerit Ecclesie, duobus aut tribus tantum testibus legitimis requisitis, eodem jure sustineatur, juxta illud: In ore duorum vel trium testium stat omne verbum, cap. Relatum 11, Ext. eod. juncto Matth. 18, & Deut. 19. b*

§. 5. De liberis instituendis vel exheredandis.

Et licet nihil magis hominibus debeat, quam ut suprema voluntatis liber sit stilus & arbitrium, *l. 1, C. De sacros. Eccles.* non tamen permissum est parentibus liberos suos utriusque sexus

præterire, sed necesse habent, eos vel instituere hæredes, vel exheredare, insertâ legitimâ causâ exheredationis, quæ & per scriptum hæredem probanda est, §. aliud quoque capitulum cum §. seq. *Novel. 115, Ut cum de appell. & tit. Instit. De exhered. liber.*

§. 6. Liberi in quo instituendi.

Institui autem debent liberi, ut minimùm in legitima, §. quæ triens est, id est, tertia pars, ubi quatuor vel pauciores sunt liberi: si plures, legitima semis est, id est, dimidia pars eorum, scilicet bonorum, quæ habituri erant liberi ab intestato, si testamentum parens non fecisset, ex quo inter liberos dividenda, *Auth. Novissima, juncta l. Parentis 8, C. De inoff. test. paragr. 1, Novell. de triente & semisse.* Et si in minore quam legitima instituti fuerint liberi, illud suppletur à scripto hærede, & *Novell. Ut cum de appell. paragr. hac autem dispositimus.*

§. 7. Legitima gravari non potest.

Nullò verò onere, veluti, usufructu, fideicommissò, conditione, modo, aliâve re, legitima gravari potest; & si contra factum fuerit, onus ipsum rejicitur, sed magis pro non adjecto habetur, & *Auth. Novissima in fine & l. Quoniam in priorib. 32, C. De inoff. test.*

§. 8. De duplici detractioe Legitima & Trebellianica.

Hinc filius à patre ita hæres institutus, ut, si sine liberis decesserit, hæreditatem restituat fratri vel alteri cupiam; non solum filius legitimam suam ab hoc fideicommissi onere liberam retinet, sed & quartam ex Trebelliano §. C. ex eadem hæreditate detrahit, & cui vult utramque relinquit, vel ab intestato ad legitimos suos hæredes transmittit; reliquum enim quòd superest, fideicommissò tantummodo continetur, *per text. in cap. Raynaldus 16, in cap. Raynaldus 18, Ext. De testam. o*

§. 9. Eadem quæ de liberis, & in parentibus obtinent.

Quæ pari ratione obtinent in testamentis liberorum respectu parentum, ut probant *sup. alleg. jura, juncta l. Nam etsi 15, in princ. D. De inoff. testam.* illis scilicet casibus, quibus liberis testamentum facere licet: quòd tum accidit, cum patriâ potestate soluti sunt; vel si, dum adhuc sacris parentum continentur, castrense vel quasi castrense peculium habeant, de quo testentur. Nam aliàs liberis permissum non est, facere testamentum, *tit. In-*

vir. Instit. in princ. Quib. non est permiffa testam. fac. l. pen. & ult. C. Qui test. fac. poss.

§. 10. Religiosi testari non possunt; sed an Clerici, distinguuntur.

De Religiosis dubium non est, quin testari non possint, *cap. 2. Ext. De testam.* cum neque liberam voluntatem, *cap. 1. De testam. in 6.* neque bona propria habeant, *cap. Cum ad monasterium. Ext. De statu monach. Auth. Ingr. ff. Cod. De sacros. Ecclies.* De Clericis verò vulgò contenditur. Sed hæc contentio nem jam pridem sustulit Alexander III. cujus scripti verba ad Episcopum Vigilentem hæc sunt: Consultationi tuæ taliter respondemus, quòd licet Clerici de his, quæ paternæ successione vel cognationis intuitu, aut de artificio sunt adepti, seu dono consanguineorum aut amicorum, non habito respectu ad Ecclesiam, pervenerint ad ipsos, liberè disponere valeant; de his tamen, quæ consideratione Ecclesiæ perceptum, nullum de jure possint facere testamentum, *text. est in cap. Quia nos 9. De testam. probat. etiam text. in cap. Relatum 11. circa fin. Ext. eod. in can. Episcopi & can. Sicut manifesta 11. quæst. 1. can. 2. ead. quæst. 3. juncto cap. Requisisti 1. §. circa fin. Ext. d. ult.*

§. 11. Clerici de bonis per Ecclesiam acquisitis interdum rectè aliis conferunt.

Itaque Clerico de bonis prospectu Ecclesiæ acquisitis testari non licet. Consuetudinis tamen est non improbanda, *inquit idem Alexander III.* ut de his, mobilibus per Ecclesiam acquisitis, pauperibus & religiosis locis, & illis, qui viventi servierant, siue consanguinei sint, siue alii, aliqua juxta servitii meritum à moriente Clerico conferantur, *d. cap. Relatum: non tamen in vim testamenti, ut alibi se explicat Alexander, in cap. Ad hæc 8. Ext. De testam.*

§. 12. De propriis bonis Clerici etiam filii familias rectè testantur.

De propriis verò bonis ad eò Clerico permiffum est testari, ut & si filius familias sit, de omnibus, etiam quæ ex quacumque causa constante clericatu ad eum pervenerunt, rectè testetur; cum ex Justiniani constitutione hujusmodi bona, licet adventitia, in numerum castrensiū peculiorum redacta sint, *in §. Presbyteros autem & Diaconos Novella de sanctiss. Episc. & extat in Auth. Presbyter & Diaconus C. De Episc. & Cleric. facu. text. in d. c. Quia nos in verb. liberè disponere. vide ibid. Covarr.*

§. 13. De substitutionibus.

Solet nonnumquam in testamento hærediti instituto alius hæres substitui à testatore, idque vel verbis directis, vel obliquis, siue per fideicommissum, *cap. 1. De testam. in 6. & l. Scavola 76. D. Ad SC. Trebel. & inf. citanda jurib.* Directis verbis, *Titius hæres esto: si Titius hæres non erit, Caius hæres esto.* Quod exemplum est vulgaris substitutionis. Vel, *Filius meus hæres esto, & si hæres erit, & ante pubertatem decesserit, Sempronius hæres esto.* Et hoc exemplum est pupillaris substitutionis, de quibus & similib. *videtur. D. De vulg. & pup. substit. & Cod. De impub. & alius substitis.* Obliquis verò verbis siue per fideicommissum, cum hæres de hereditate vel tota, vel ejus parte restituenda alteri, rogatur, vel fidei ipsius committitur à testatore. Quâ tamen specie, si hæres ex judicio defuncti quartam partem hereditatis non habet, eam detrahit ex SC. Trebelliano, *tit. Instit. De fideicom. hæred. & tit. D. & C. Ad SC. Trebel. c. Raynuius De testam.*

§. 4. De legatis, & lege Falcidia.

Sed & quandoque in testamento reliquantur legata & fideicommissa singularia; quæ si detraherent hereditatis, id est, novem uncias excernerent (quippe hereditas omnis, cujuscumque quantitatis, in 11. uncias distribuitur à jure; ipsa verò hereditas As appellatur) hæres gravatus quartam partem ex eis detrahit beneficio legis Falcidiae, *totò tit. D. & Cod. & Instit. Ad L. Falcid.* Exceptis tamen legatis piis, & nonnullis aliis, quæ Falcidiam non pariuntur, *de quibus susè apud DD. ad l. In testamento 7. cum Auth. seqq. C. Ad L. Falcid.*

§. 15. Ambulatoria extrema hominis voluntas est.

Et quia ambulatoria est defuncti voluntas usque ad supremam vitæ exitum; potest voluntas ultima in testamento vel in codicillis relictæ, toties quoties videbitur, à testatore revocari vel immutari, *l. 4. D. De adim. leg. ac proinde nihil ei oberit contestatio, siquam fortè in priore voluntate adiecit testator, de non revocanda aut non immutanda sua voluntate, l. Si quis 21. in princ. D. De leg. 3. l. Si mihi & tibi 12. §. in legatis D. De legat. 1. Clausulâ tamen opus est derogatoriâ, si in priore voluntate contestatio facta sit, de qua in d. l. Si quis.*

SSSS

NOTA.

NOTATIO in Tit. 10.

a Rēdē sentiunt, qui hunc textū desumptum ex cap. Cūm esses Ext. De testament. solum obtinere putant in ditionibus Ecclesie Romanae & in foro Ecclesiastico: non autem in terris Imperii, in quibus Civile servandum est, sicut videre est apud Iulium Clarum §. Testamentum quæst. 57. Nam & ejusdem cap. Cūm esses decisio directæ est ad Episcopum Hosiensem: qui & in temporalibus subiectus est Romano Pontifici Nec movet Lex divina: In ore duorum vel trium testium, &c. cuius nominis textus in d. cap. Cūm esses, & extat Deuter. 17. & 19. cap. quia hæc lex est veteris Testamenti, cuius præcepta per mortem Christi abolita sunt, quemadmodum notavimus ad tit. 2. supra lib. 1. Neque impedit, quod Christus eadem lege usus fuerit in novo Testamento, Matth. 23. Non enim idcirco est lex novi Testamenti: idque ex eo patet, quod tradidit D. Thomas in 2. quæst. 103. art. 3. ad 2. Dicendum, inquit, quod mysterium redemptionis humani generis completum fuit in passione Christi, unde tunc Dominus dixit: Consummatum est: ut habetur Ioan. 19. & idē tunc totaliter debuerunt cessare legalia, jam veritate eorum consummata: in cuius signum in passione Christi velum templi legitur esse scissum, Matth. 27. & ideo ante passionem Christi, Christo prædicante & miracula faciente, currebant simul Lex & Evangelium, quia iam mysterium Christi erat inchoatum, sed nondum consummatum, & propter hoc mandavit Christus Dominus ante passionem leproso, ut legales ceremonias observaret. Hæc D. Thomas. Hæc notanda sunt ad multorum Canonum declarationem, & conciliationem. Quod igitur summus Pontifex in d. cap. Cūm esses, & in c. Relatum 11. Ext. eod. legem veteris Testamenti adduxerit, id factum est confirmandæ decisionis suæ causâ: alioqui si eandem legem tamquam divinam adhuc vigere existimasset, frustra conjisset præter testes adhibendum esse presbyterum.

b Hic textus loquitur de relicto ad piam causam, in qua sufficiunt tres, vel duo testes, juxta d. cap. Relatum, Virum idem obtineat in ditionibus Imperii, vide Panorm. & Covarr. ad d. cap. Relatum, l. i. Clarum §. Testamentum quæst. 6. Tiraquei. de privileg. pie causæ, privileg. 1. & Iason. ad l. 1. num. 22. C. De factol. Eccles.

g Non tamen necesse est, integram legitimam liberam relinqui, sed sufficit pars eorum relinqui titulo institutus, ut deinde ad supplementum agatur, §. hæc autem disposuimus Novell. 115. Ut cum de appellat. cognosc. l. Omnimodo 30. & l. Scimus 36. C. De inoffic. testam.

d Non dubium est, utramque deductionem & legitimam & Trebellianicam locum habere in ditionibus Romanae Ecclesie quo ad utramque jurisdictionem subiectis Sed quo ad ditiones Imperii, res contentions non caret, de qua vide Iason. ad l. Filium quem 14. num. 6. C. D. Eccles. fam. Castrani. ad l. Jubemus. 6. num. 2. C. Ad SC. Trebell. & Covarr. ad cap. Raynucius §. 11. num. 10. De testam. Textus verò hæc de re sunt in d. l. Jubemus, in d. l. Filium quem, in §. 1. vers. licebit in reliquam Novell. 18. de triente & semisse & in §. quamobrem Novell. 39. de restitutione & ea quæ parit.

c Vulgaris substitutio ita dicta est, quod ea à quolibet & cuilibet fieri possit; quod & ipsa vox, vulgaris, indicat. Idcirco à jure introducta est, ne facta caducâ institutione heredis, ut quia institutus adire hereditatem non vult, aut non potest, testator contra voluntatem suam decedat intestatus Nam deficiente institutione locum habet substitutio, & totam testamenti causam sustinet Pupillaris substitutio ideo recepta est, ut pupillus, qui sibi ob defectum ætatis testamentum facere non potest, heredem habeat in bonis suis, quem pater in testamento suo ipsi nominaverit, l. 1. & l. 2. D. De vulg. & pupill. & Instit. eod. tit.

DE SUCCESSIONIBVS AB INTESTATO.

TITULUS XI.

§. 1. Quis dicatur intestatus.

In testatus is dicitur, qui aut omnino testamentum non fecit, aut non jure fecit, aut id quod fecerat, ruptum irritumve factum est, aut nemo ex eo hæres extitit, Instit. De hæred. qua ab intest. desor. in princ.

§. 2. Qui succedant intestato.

Hujus itaque bona primum deficiuntur liberis suis, id est, descendentes, & his non extantibus, ad ascendentes, deinde collateralibus: ut tamen fratres & sorores, si quos habet intestatus

ex utroque parente sibi conjunctos, cum proximi gradu ascendentibus concurrant, *latè Nov de hered. ab intest. Cæceterum his omnibus deficientibus succedit vir uxori, & contra, l. unica Cod. Unde vir & uxor jungo ibid. Auth. Præterea & Nov. §. 1. & 117. unde desumpta est, & postremò hæc, l. 1. & l. 4. C. De bonis vacant. junctâ d. l. unic. Quod attinet ad bona allodialia Nam in feudalibus alius ferè successiois ordo est, ut videre est in cap. 1. de natura success. feud. in cap. 2. de success. feud. & alibi in libris Feudor.*

§. 3. Clerico intestato qui succedant.

Et hæc quoad successionem in bonis secularium. At Clerico intestato succedunt liberi, si quos ex legitimo matrimonio antè procreavit: deinde ex consanguinacis; & his deficientibus, Ecclesia sive aliate, cui inservivit, *can. fin. xii. quæst. 5. cap. 1. & ibi DD. Ext. De success. ab intest. §. si quis autem Episc. Novel. de Eccles. titulu. facit. can. Simi manifesta xii. quæst. 1. Idque in bonis propriis ipsius Clerici. Quæ enim prospectu Ecclesiæ ad eum pervenerunt, non hæredibus ejus deferuntur, sed collegio clericorum; aut si separatim extra collegium bona illa possidebat (ut Episcopus, Parochus & similes) ejus successoribus. *cap. Relatum 12. De testam. cap. fin. De off. ord. in 6. & Statutum 7. De elect. in Clement. & cap. 2. eod. in Extravag. Ioan. XXII.**

§. 4. In Capitula, aliosque, qui Episcopi aut aliorum defuncti bona occupant

Hinc illa Bonifacii VIII. Constitutio in Capitula, aliosque, qui defuncti Prælati bona occupant: Quia, inquit, sæpè contingit, quòd Cathedralibus & regularibus ac collegiatis Ecclesiis vacantibus, Capitula, conventus, Collegia & singulares earundem persone bona à Prælatibus ipsarum dimissa vel vocationis tempore obventientia, quæ inutilitatem dictarum Ecclesiarum expendi, vel futuris deberent successoribus fideliter reservari, occupant, inter se dividunt, subipiunt, dilapidant, dissipant & conlumunt, in earum grave dispendium & jacturam: Nos ipsorum casus reprimere, ac Ecclesiarum indemnitate præcavere volentes, decernimus, ut hi, qui præmissa de cætero præsumpserint, eo ipso sint & tandem maneat ab officio & beneficiis quibuscumque suspensi, donec plenè restituerint quicquid de bonis præceperint supradictis; Non obstantibus quibuslibet privilegiis vel indulgentiis, aut consuetudinibus, constitutionibus vel statutis, juramento, confirmatione Sedis Apostolicæ, aut alia quacumque firmitate vallatis; quæ omnia quoad hoc auctoritate Apostolicæ revocamus, cassamus & irritamus, ac nullius deinceps volumus esse firmitatis, *text. est in cap. Quia sæpè 40. De elect. lib. 6. adde can. Quoniam quidam dist. 75. can. illud cum can. seq. xii. quæst. 2.*

DE SEPULTVRIS ET CANONICA PORTIONE.

TITULUS XII.

Hic subsequenter de sepulturis videamus, quæ pio & probato majorum more in Ecclesiis vel monasteriis, aut eorum cæmeteriis exercitari solent, *cap. 3. Ext. hoc tit. can. Non assumemus, in fine can. Cum gratia xii. quæst. 1. quibus loc. & ratio redditur.*

§. 1. Sepultura electio cuiuslibet libera, exceptis impuberibus.

Liberum est autem cuiuslibet, quo velit loco, sepulturam sibi diligere, *cap. 1. in verbis, nulli tamen negamus, & cap. Cum super 8. Ext. eod. c. 2. §. fin. eod. in 6. adde ut & uxor inconsulto marito, & filius sine assensu patris sui, hanc potestatem sibi vindicent, cap. De uxore 7. Ext. eod. in 6. Nisi sit filius impu-*

bes, cui propter defectum iudicii pater sepulturam elegit, si id ferat loci consuetudo; alioqui cessante in sepulchro majorum suorum, vel in parochiali Ecclesia humandus est, *d. cap. penult. adde §. ubi itaque §. inf. eod.*

§. 2. Item exceptis Religiosis.

In Religiosis sequimur præscriptum Bonifacii VIII. quod ita habet: Religiosi nisi à propriis monasteriis a dco forsitan sint remoti, quòd ad ea cum moriuntur, commodè portari non possunt, nequeunt (cum velle vel nolle non habeant) sibi eligere sepulturam; sed sunt apud sua monasteria tumulandi, *text. est in can. fin. eod. in 6.*

§. 3. Els.

§. 3. *Electio sepultura etiam in loco minus religioso permissa.*

Igitur in cæteris libera sepulturæ electio est, etiam in loco minus religioso, *cap. 2. §. fin eod. in 6. modò id malitiosè non fiat: neque enim malitiis indulgendum est, cap. 3. Ext. eod. Et l. In fundo D. De rei vind.*

§. 4. *Improbatur conventio de sepultura certo loco eligenda, vel electa non mutanda.*

Interdicitur verò Clericis & Religiosis, ne quem inducant ad eligendam apud se sepulturam, vel ad eam semel electam non mutandam: secus electio etiam jurato facta, nullius momenti est. inferrique iubetur defunctus eò loci, quo alias cessante electione inferendus erat. Et si fortè Clerici vel Religiosi eundem in sepulturam suam receperint, conveniri poterunt non solum ad restitutionem sepulti corporis, omniumque eorum, quæ ratione sepulturæ perceperunt, verum etiam si contumaces sint in restituendo post decedendum, Ecclesia & cœmeterium eorum interdito Ecclesiastico ipso jure subjicitur, quousque restitutioni plenè satisfiat, *cap. 1. eod. in 6. ad de Glos. ibid. Et c. 3. §. 6. Ext. eod.*

§. 5. *Ubi sepeliendus sit, qui sepulturam sibi non elegit.*

Ubi itaque defunctus sepulturam sibi liberè non elegit, sepeliendus est in sepulchro majorum suorum: aut, eo deficiente, in parochiali Ecclesia, *cap. 1. Et ibi in eod. cap. 3. in verb. sed in sua parochiali, eod. in 6. exceptà uxore, quæ defuncti mariti sepulturam sequitur, can. Vnaquæque xiii. quest. 2. & si fortè plures ea maritos habuerit, mariti postremò defuncti, cujus domicilium & honorem retinuit, cap. 3. §. mulier eod. in 6. Idem quoque in marito retinendum esse indicat his verbis Hieronymus: Quos conjunxit unum conjugium, conjugat unum sepulchrum: quis una caro sunt, & quos Deus conjunxit, homo non separet. *Extas in can. 2. in fine xiii. quest. 2. sed haud dubiè accipiendum est, ubi sepultura non est electa, juxta supra allegata.**

§. 6. *Ruri mortuus ubi sepeliendus.*

De eo ad dubitari posset, quo loco sepeliendus sit, qui dum ruri animi gratià, vel rusticà occupabatur, nullà electà sepulturà, ibi decessit? Et magis est, si absque periculo inde exportari

possit, eum ibidem non esse sepeliendum, sed remittendum ad sepulturam parochialem, vel potius majorum suorum, *cap. 3. in princ. hoc tit. in 6. cap. 1. Ext. eod.*

§. 7. *Quibus sepultura Ecclesiastica sit interdictum.*

Et quamvis nemo ab Ecclesiastica sepultura prohiberi debeat, juxta illud Ecclesiastici: Mortuo non prohibeas gratiam, sciens quoniam omnes moriemur, *can. In Ecclesiastico xiii. quest. 2. occurrunt tamen nonnulli, quibus sepultura Ecclesiastica jurè denegatur, imò planè interdicta est: veluti sunt, hæretici, eorumque receptatores & fautores, cap. 2. De hæret. in 6. in duello interfecti, Concil. Trident. sess. 25. cap. 19. de reform. adde cap. 1. Ext. De torneament. vel alias excommunicati, cap. Sacris 12. Ext. hoc tit. quibus cum viventibus non communicemus, nec defunctis communicare debemus, d. cap. Sacris. Adde Judæos, paganos, *can. Ecclesiam cum can. seq. de consecr. distinct. 1. usurarios manifestos, cap. 3. Ext. De usur. raptos, juxta cap. 3. Ext. De rap. fures & latrones in flagranti crimine occisos, cap. 2. Ext. De furt. Et can. penult. xiii. quest. 2. quive mortem sibi consciverunt, can. Placuit xxii. quest. 5. vel in Pascha Eucharistiæ Sacramentum non sumplerunt, cap. Omnes jurisque Ext. De penitent. cæterosque, qui gravioribus peccatis obnoxii ex hoc mundo impoenitentes discesserunt, *text. in can. Quibus xiii. quest. 2. Sed nec interdicti tempore quis ad sepulturam Ecclesiasticam admittendus est; neque is, qui nominatim interdicto multatus est, ut infra latius explicabitur sub Tit. de sentent. excom. cap. 1. hoc tit. in Clem. latius Hostiens. in Sum. in de sepult. Sylvest. in V. Sepultura.***

§. 8. *Pœna recipientium interdictos Ecclesiastica sepultura.*

Qui autem hæreticos, receptatores, fautoresque eorum scienter præsumpserint Ecclesiasticæ sepulturæ tradere, ex Constitutione Alexandri IV. excommunicatione notantur: à qua non antè absolventur, quam propriis manibus sepultos publicè eruerint & projecerint. Sed & locus ipse perpetua sepultura privatur, *cap. 2. in princ. De hæret. lib. 6. dum tamen eorum ossa discerni possint ab aliis, juxta d. cap. Sacris. In eos quoque, qui vel interdicti tempore, vel excommunicatos publicè, vel interdictos nominatim, vel usurarios*

rarios manifestos scienter in cœmeteriis sepelire præsumpserint, ex decreto Clementis V, in Concilio Viennensi, excommunicatio ipso facto constituta est, à qua neque antè liberantur, quam arbitrio Diœcesani Episcopi, satisfactionem injuriæ iis, quibus hoc nomine irrogata est, competentem exhibuerint: nullo emptionis vel quovis alio privilegio, quavis etiam verborum formâ concepto, illis suffragante, *cap. 1, eod. tit. in Clement. Hac qua dicuntur de non sepeliendis excommunicatis & interdictis, attemperanda sunt juxta Extravag. Martini V, quam vide in §. sane, inf. de sentent. excommunicat.*

§. 9, Reconciliatis sepultura Ecclesiastica restituitur, & ad refusionem damni compelluntur heredes ipsorum.

Quæ certè exaudienda sunt de iis, qui impœnitentes, non reconciliati Ecclesiæ, ex hac vita migraverunt. Ceterùm si quis in extremis diu ageret, legitime absolutus fuerit, huic cœmeterium aliâque Ecclesiæ suffragia minimè deneganda sunt, *cap. Sacris 12, cap. fin. Ext. hoc tit.* Cujus tamen hæredes & propinqui, ad quos bona ejus pervenerunt, ad restitutionem damni à defuncto illati, conveniri & constringi poterunt, *d, cap. fin. cap. 5, Ext. De raptorib.*

§. 10, Casu sublato sepultura non deneganda.

In eo, quem casus inopinatus oppressit vel sustulit, hanc regulam sequimur, ut cui communicabamus viventi, eidem quoque defuncto communicemus, *cap. Ex parte 11, Ext. eod.* nisi tamen eum in peccato discessisse constiterit. Glossa & Panorm. *ad d. cap. Ex parte per text. in can. Non asstimemus, can. Pro obventib. xii. q. 2.*

§. 11, Pro sepultura loco nihil exigendum est.

Illud admonendi sumus, à sacris Canonibus omninò interdicti, ne pro loco sepulturæ aut exequiis mortuorum aliquid exigatur; prætextu etiam consuetudinis, *cap. Abolenda 13, Ext. hoc tit. can. Quæstia, can. In Ecclesiastico xii. quæst. 2, cap. Novus 8, cap. Ad Apostolicam 42. Ext. De simonia, nisi consuetudo pia & laudabilis aliud dictaverit, d, e, Apostolicam, Glos. ad d. c, Abolenda.*

§. 12, De Canonica portione parochiali.

Nemo autem prohibetur Ecclesiæ, cujus sepulturam elegit, aliquid legare vel relinquere, *can. Qui oblationes cum e, seq. xii. q. 2, cap. Relatum ext. De testam.* salvâ tamen Ecclesiæ parochiali canonicâ suâ portione, quam hæc detrahit ex relicto, instar Falcidiæ: quæ quandoque quarta est, quandoque tertia, quandoque media, pro loci consuetudine. De quarta est *textus in cap. Cum super 8, Ext. hoc tit. de tertia in cap. 1, ext. eod. de media in c. 2, cap. 9, Ext. eod. de consuetudine in d, cap. 9.*

§. 13, In quibus legatis cesset portio canonica.

Exceptis tamen legatis, pro ornamentis, pro fabrica, pro luminaribus, pro septimo, vigesimo, trigésimo, sive aliâs ad perpetuum cultum divinum, relictis, in quibus cessat detractio canonice portionis, *cap. fin. Ext. de testam. Adde in Hospitalariis, ex equis & armis ipsis relictis, c, In vestra 10, Ext. De sepultur.* Nisi in taudem Ecclesiæ parochialis hæc legata relicta essent, *d, cap. fin.* aut Fratribus Ordinum Minorum & Prædicatorum, qui & in his aliis que relictis quartæ detractio nem patiuntur, *cap. 2, §, hujusmodi De sepultur. in Clement.* Et hæc de canonica portione parochiali.

§. 14, De Canonica portione Episcopali.

Est & canonica portio Episcopalis, quæ scilicet Episcopo competit ex relictis alicui Ecclesiæ, pro cura, quam ipse in suam Diœcesim impendit, *cap. Conquerente 16, in verb. mortuorum ext. De offic. jud. ord. cap. Officiis 4, cum cap. seq. Ext. De testam.* quæ & quandoque quarta est, quandoque tertia, juxta loci consuetudinem, *cap. Requisisti 15, Ext. de testam.* Cujus usus in disuetudinem abiisse videtur, & præscriptione contrariâ tolli posse, probat, *c, Quarta Ext. De præscrip.*

DE DELICIDIS.

TITULUS XIII.

§. 1. Quid veniat nomine delicti?

Delicti nomine non solum venit admissum dolo malo, sed & damnum culpâ, licet levissimâ datum, *l. 1, & ibi Gl. Cod. Si advers. delict. cap. fin. Ext. Deinjur.* ut in lege Aquilia, §. *injuria Inst. de lege Aquil. l. in lege 45, D. Ad L. Aquil. l. 4. in princ. D. de oblig. & actionem Cogitatione verò solâ conceptum delictum à jure non coercetur, l. Cogitationis de poenit. dist. 1.*

§. 2. Divisio delictorum civilis.

Delictorum sive criminum quædam publica sunt, quædam privata. Publicorum rursus quædam capitalia sunt, quædam non capitalia. Verum hæc distinctio magis est juris Civilis, ut vi-

dero est *in l. 1, & l. 2, D. De publ. judic. juncto tit. D. De privat. delict.* & ad jus Canonicum non valde pertinet.

§. 3. Divisio delictorum Canonica.

Ex sententia verò juris Canonici, delicta hoc modo commodè distinguuntur; quoddam aut principaliter offendunt divinam Majestatem, aut læsionem sive damnum proximo adferunt. Primi generis sunt, simonia, hæresis, schisma, apostasia, blasphemia, sortilegium. Posterioris, homicidium, adulterium stuprum, raptus, incestus, falsum factum, rapina, usura, injuria, damnum dolo vel culpâ datum. De singulis ex ordine ac breviter videamus.

DE SIMONIA.

TITULUS XIV.

§. 1. Simonia in quibus admittatur.

Simonia crimen admittitur circa res spirituales aut spirituales annexas; eum scilicet facti Ordines, aliâve sacramenta Ecclesiæ, consecrationes Ecclesiarum, vel altarium, ingressus Religionis, benedictiones nubentium, exequia & sepultura mortuorum, item officia & beneficia Ecclesiastica, sive eorum collationes, electiones, præsentationes, investitura, possessiones, aut his similia, datâ vel promissâ, vel etiam solo animo destinatâ pecuniâ, vel aliâ re, quæ æstimationem recipit, acquiruntur, *cap. 1. c. Non satis 8, cap. Cum in Ecclesia 9, & per tot. Ext. de simonia, can. 3, & passim l. qu. 1, cum 5, quasi. seqq.*

§. 2. Consuetudo an simoniam excuset.

Adeo quoddam in his non excuset consuetudo contraria, cujuscumque etiam temporis; cum duritas temporis non diminuat, sed augeat potius peccatum, *can. fin. 1, qu. 3, d. c. Non satis cum cap. seq. Nisi forte consuetudo pia & laudabilis sit, cap. Ad Apostolicam 42, hoc tit. quæ loco stipendii aliquid dandum censet; ita quoddam ea neque*

simonia, neque cupiditatis præ se speciem ferat: cum D. Paulus jubeat, etiam à specie mala abstinendum esse, *1, ad Thessal. cap. ult. D. Thomas in 2, 1, qu. 100, art. 2, ad 4, addo c. Anarimus 41 Ext. h. t.*

§. 3. Decretum Concilii Tridentini, in statuta & consuetudines Ecclesiarum, ratione hujus criminis, &c.

Quod pertinet decretum Concilii Tridentini in pluribus Ecclesiis, inquit, tam Cathedralibus quam Collegiatis & Parochialibus, ex earum constitutionibus aut ex prava consuetudine observari intelligitur, ut in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia provisione seu admissione ad possessionem alicujus Cathedralis Ecclesiæ vel beneficii canonicarum aut præbendarum, vel partem proventuum, seu ad distributiones quotidianas, certæ conditiones seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationes sive illicitæ, aut etiam quæ in aliquibus Eccle-

Ecclesiis dicuntur carnorum lucra, interponantur: hæc cum sancta Synodus detestetur, mandatur Episcopus, ut quæcumque huiusmodi in usus pios non convertuntur, atque ingressus eos, qui simoniacæ labis, aut sordidæ avaritiæ suspitionem habeant, fieri non permittant; ipsique diligenter de eorum constitutionibus sive consuetudinibus super prædictis cognoscant; & illis tantum, quas ut laudabiles probaverint, exceptis, reliquas ut pravas ac scandalosas rejiciant & aboleant. Eos verò, qui hæc in præsentis decreto comprehensa, quavis ratione commiserint, pœnis contra simoniacos editis, sacris Canonibus & variis summorum Pontificum constitutionibus, quas omnes innovat, teneri decernit: non obstantibus quibuscumque statutis, constitutionibus, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, etiã Apostolicâ auctoritate confirmatis: de quarum surreptione, obreptione & intentionis defectu Episcopus, tamquam Apostolicæ Sedis delegatus, cognoscere possit, *text. est sess. 24, c. 14, de reformat.*

§. 4. Casus, quibus cassas Simonia.

Planè in re exigui momenti, qui recipientis animum non pervertit aut allicit, simonia non committitur; dummodò ea non ex pacto, & non petenti offeratur; neque compensationis, sed benevolentia ergò datur, *cap. Essi quæstiones 18, ext. hoc tit. juncto can. Sicut Episcopum 1, qu. 2.* Similiter ingredienti Religionem dare vel offerre licet monasterio quascumque res, sed purè, spontè & plenâ liberalitate, absque conventionione ulla, *cap. 1, hoc tit. in Extravag. commun.* sicut & illi, qui jus suum vitandæ vexationis causâ ab adversario redimit, *cap. Dilectus 28, ext. hoc tit.* Tamen hic adversarius accipiendo improbè agat, atque ob id conditione ob turpem causam teneatur ad restituendum quod accepit, *l. 1, in fine cum l. seq. p. de condit. ob turp. caus.*

§. 5. De pœnis in Simoniacos.

Simoniam variis modis vindicatur per sacros Canones. Qui enim simoniacè Ordinem suscipit, non solum ipso jure suspensus est ab executione Ordinis sui, *cap. 2, hoc tit. in Extravag. com. cap. 1, ext. eod.* verùm etiam deponendus est, *can. Si quis episc. 8, can. Statuimus 107, cum can. seg. 1, quæst. 1.* nisi ignoraverit se simoniacè ordinatum, forte Episcopo à parentibus vel ab alio corru-

pto; quâ specie ordinatus ex benignitate Canonum sustinetur, *cap. De simoniacè 22, ext. hoc tit. sed dispensatur, ut ibi Glos. per can. Praesentium 1, quæst. 5.* Qui verò ad beneficium Ecclesiasticum, vel ad monasterium simoniacè electus, postularus, confirmatus, vel aliter assumptus est, nullam jus ex eo assequitur, adeoque ad restitutionem fructuum, si quos percepit, sub periculo animæ obstringitur, *d. cap. 2, in Extravag.* In beneficio quoque simoniacè collato ignoranti, eo jure utimur, ut idem Clericus, post resignationem à se factam, ad idem beneficium relumi possit, *cap. Ex insinuatione 26, ext. eod. cap. per. De elect.* Monachus verò, si ignorans per simoniam in monasterium receptus est, post abdicationem monasterii à se factam ad idem monasterium reducitur, vel in alio ejusdem ordinis collocatur, *cap. De regularib. 25, ext. hoc tit.* In sciens, ad arctius monasterium transfertur, *d. cap. De regularib.* Monialis verò hoc casu monasterio exturbatur, & ad agenda perpetuam pœnitentiam in locum arctioris regulæ retruditur, *e. Quoniam 40, ext. eod. ubi G. de recipientib. simoniacè, G. d. cap. De regularib. R. It. & pœna excommunicationis in simoniacos, eorumque procuratores & mediatores; cujus absolutio Romano Pontifici reservata est, d. cap. 2, in Extravag. commun. Adde latius Navar. in Manuali c. 23, de simonia.*

§. 6. Simonia mentalis nullâ pœnâ punietur.

Sanè, si simonia solâ mente concepta vel destinata est, nullâ pœnâ à jure coercetur; ne quidem resignationis aut restitutionis; cum cogitationis pœnam nemo patitur, sed sufficiat eam expiari per pœnitentiam coram Deo, *cap. ult. ext. eod. juncto can. Cogitationis de pœnit. distinct. 1.*

§. 7. Aliud decretum Concilii Tridentini.

Ubi attendendum est, quod de Ordinatoribus, aliisque graviter sancit Concil. Tridentinum: Quoniam, *inquiens*, ab Ecclesiastico Ordine omnis avaritiæ suspicio abesse debet; nihil pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam clericalis tonsuræ, nec pro literis dimissoriis aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacumque de causa, etiam spontè oblatum, Episcopi & alii Ordinum collatores, aut eorum ministri quovis prætextu accipiant. Notarii verò

T t t t 2 in

in iis tantum locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis literis dimissoris aut testimonialibus decimam tantum unius aurei partem accipere possint; dummodò eis nullam s. l. arum sive constitutum pro officio exercendo, nec Episcopo ex Notarii commodis aliquod emolumentum ex eisdem Ordinum collationibus directè vel indirectè provenire possit; tunc enim gratis operam suam eos præstare omninò teneri decernit: contrarias taxas ac statuta & consuetudines, etiam immemorales, quorumcumque locorum, quæ potius abusus & corruptelæ, simoniacæ pravitati faventes, nuncupari possunt, penitus cassando & interdicens: & qui secus fecerint, tam dantes quam accipientes, ultra divinam ultionem, pœnas à jure inflictas ipso facto incurrant. *Concil. Trident. sess. 21, cap. 1, de reformat.*

Notatio in Tit. 14.

^a Intellige, si principaliter pretium sive ejus estimatio intercesserit. Nam constat in matrimonio, quod spirituale est, rectè inter venire dotem: eodem id fiat pro oneribus matrimonii sustinendis. l. Pro oneribus 20, Cod. De jure dot. Item Clerici, um propter distributiones quotidianas ire posse ad templum; dummodò id principaliter fiat propter Deum, etiamsi alias non esset iturus. Latè Navar. in Manuali cap. 23, num. 101. Item intellige taxam nostrum quoad forum exterius; propter prohibi-

tionem SS. Canonum, qui omnem pactionem, dationem, promissionem pro re spirituali aut ei annexa, interdicens, ac proinde si contra fiat, præsumunt id fieri in fraudem. Neque enim is, qui contra jura facit, censetur bonam fidem habere, cap. Qui contra De reg. jur. io 6. & l. 7, C. De agric. & censuris lib. 11, At secus est quoad forum interius, id est, conscientia; in quo cum stetur soli veritati, cap. Tu nos 26, Ext. De sponsal. cessat SS. Canonum præsumptio, ubi scilicet quod datur vel promittitur, non pro re spirituali aut ei annexa fiat, sed alio prospectu sive intentione. Quia, ut inquit Augustinus, Deus cor interrogat, non manum, can. Si quid xiv, quæst. 5, Et Alexander Papa, Nec tantum, inquit, attendenda sunt, quæ sunt, quantum quo animo fiunt, can. 1, circa h. x, quæst. 6, Et vulgata juris sententia est, voluntatem & propositum distinguere peccata, cap. Cum voluntate 54, Ext. De sent. excomm. l. Qui in iuria 55, D. Defurt. Facit pro hac explanatione text. in cap. Tu 34, Ext. hoc tit. Vide Navar. d. c. 23, n. 302.

^b Ratio hujus est, quod cogitationis pœnam nemo patitur, can. Cogitationis de pœnit. dist. 1, scilicet quoad forum exterius. Confirmat D. Thom. in 2, 2, qu. 100, art. 6, ad 6, arg. ubi his verbis inquit, quod quoad pœnam Ecclesiasticam exteriorem, non punitur ut Simoniacus, ut abrenuntiare teneatur, sed debet de mala intentione pœnitere. Adde omninò quæ tradit Navar. ad c. s. u. h. t.

DE HÆRETICIS, SCHISMATICIS ET APOSTATIS.

TITULUS XV.

§. 1. Hæretici qui, & unde dicuntur.

Hæretici denominationem suam trahunt ab hæresi, hoc est, ab electione, quod sibi eligant doctrinam singularem & alienam à sensu Catholicæ Ecclesiæ, can. Hæresis xxiv, q. 3, & l. 2, Cod. De hæret. eamque pertinaciter defendunt, can. Qui in Ecclesiâ quæ 3, Nam, ut difordè inquit Augustinus, qui sententiam suam, quamvis falsam atque perversam, nullâ pertinaci animositate defendunt, præfertim, quam non audaciâ suæ præsumptionis pepererunt, sed à seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærent autem cautâ sollicitudine veritatem, corrigi parati cum invenerint; nequaquam sunt inter hæreticos deputandi, text. in can. Dixit ead. quæst. 3.

§. 2. Schismatici qui sunt.

Schismatici verò a schismate, id est, à scissura dicuntur, can. Schisma xxiv, quæst. 1, quod ab unitate Ecclesiæ Catholicæ, quæ est in Romano Pontifice tamquam in capite, can. 3, dist. 21, can. Quoniam vetusto xxiv, quæst. 1, & l. inter claras 8, noscedentes Cod. De summa Trinit. Conc. Chalced. in epist. ad Leonem & Act. 1, se præscindant. Quod quidem in principio, aliqua ex parte, ait Hieronymus, intelligi potest. Cæterum nullum schisma non ali-quam sibi confingit hæresim, ut rectè ab Ecclesiâ recessisse videatur, can. Inter hæresim xxiv, quæst. 3.

§. 3. De

§. 3. De poenis hæreticorum & schismatorum.

In hæreticos poena à jure statuta est excommunicatio & bonorum confiscatio, *cap. Ad abolendam 9, cum cap. seq. cap. excommunicatus 11, & 15, Ext. de hæret. cap. Cum secundum eod. tit. in 6, addo Auth. Gazaros C. eod. tit. & Bullam caena Domini in princ.* Ita tamen, ut confiscationis executio non ante fiat, quam per sententiam iudicis Ecclesiastici de hæresi condemnati sint, *d. cap. Cum secundum.* Item ex constitutione Friderici Imp. hæretici perpetuam notantur infamia, diffidantur atque banniantur, *d. Auth. Gazaros, a In Clericos* (quorum tamen bona fisco seculari non inferuntur, sed Ecclesie, à qua stipendium receperunt, applicantur, *d. cap. Excommunicatus 13, & 14*) hoc amplius est, quod beneficiis & Ordinibus Ecclesiasticis exautorati, relinquuntur iudici seculari debitam animadversione puniendi, *d. cap. Ad abolendam & d. §. 1.* In schismaticos itidem excommunicatio statuta est, *Bulla caena Domini in pr. que extat, apud Navar in Manuali cap. 27, can. De Liguribus XXI 11, qu. 5, & ordinationes, beneficiorum collationes, & rerum Ecclesiasticarum alienationes ab iis factæ, irritæ sunt, cap. 1, & cap. 2, Ext. De schismat. b*

§. 4. De Apostatis.

Apostatæ sunt, qui deserunt susceptam à se Christianam fidem, vel monasticam Religionem, vel sacrum Ordinem, *tit. Decretal. & Cod. de apost. varieque coercentur.* Nam primi illi publicatione bonorum multantur, non extantibus propinquis, *l. 1, 3, & 4 ubi & latius C. d. 1, neque testandi vel testimonii dicendi, vel succedendi jus habent, l. 3, C. eod. can. Non potest 11, q. 7.* Et qui alteri huius apostasiæ amplectendæ auctor est, in poenam capitis incidit, *l. 5, C. eod.* Secundi verò ab accusando & à testimonio ferendo rejiciuntur, ipsoque jure infames sunt, *can. Alieni 11, qu. 7, can. Beatus, can. Si quis 111, q. 4.* Item carceribus mancipantur, donec desertum Religionis habitum resumpserint, *c. pen. Ext. de apost. Tertii, in criminibus comprehensi amittunt privilegium*

Clericis indultum, *c. 1, Ext. eod. juncto cap. 15, & 4 5, Ext. De sent. excom. g. tum aliter castigantur, can. 11, 12, & 13, XI, qu. 3.* Est & quartum genus apostatarum, eorum scilicet, qui Superioris præceptum transgrediuntur, *cap. Si quis & cap. illud Ext. De major. & obed. vide Glas & Panorm. add. cap. 1, De apost. & D. Thom. 2, 2, qu. 12.*

Notatio in Tit. 15.

a Banniantur illi, qui proscribuntur, id est, à Repub. ejiciuntur, assimilanturque excommunicatis. *Bald. ad l. 1, v. 10, cum seqq. C. De hæred. ioh. tit. Diffidantur, quibus denegatur, vel subtrahitur fides, quibusq; indultum est bellum, & quos eo in acie quomodocumque per irsidias aut aperto Marte opprimere licet, non minus, quam hostes, adversus quos id ipsum permittitur, can. Dominus XXI 11, qu. 2.* Ita exponit diffidatos *Per. Greg. Tholosan. in Juris Can. partit. lib. 4, tit. 13, in Glos. c. Putat autem Panorm. ad c. 9, nu. 12, Ext. hoc tit. secutus Hostiensem, & Ioan. Andr. hæreticos igne puniendos esse, id est, cremandos, ex illo loco Ioan. 15, cap. Si quis in me non manserit &c, quod & comprobatur consuetudo, teste ibid. Panorm. Huius consuetudinis meminit & Jul. Clar. in §. Hæresis vers. sed quæro.*

b Intellige, Ordinationes à Schismaticis factas esse irritas, quoad executionem Ordinum: nam ipsi Ordines per se subsistunt, *c. 2, Ext. De schismat. Vide latius D. Thomam in 2, 2, qu. 39, art. 3.*

g Hoc accipiendum est de privilegio can. Si quis suadente, quod Clericus in criminibus comprehensus amittit, ita quod eum comprehendentes non incidant in ejusdem canonis excommunicationem: adhibitâ tamen moderatione *cap. Si iudex laicus 12, De sent. excom. lib. 6. Non autem amittit privilegium fori, Panorm. ad d. c. 1, n. 6, Quam sententiam post alios à se relatos sequitur Did. Covarr. Pract. quæst. cap. 32, nu. 2, vers. tertio his erit: licet cum quadam limitatione, ut ipse putat, sed absque auctoritate juris. De extravag. Leonis X, vide infra à tit. 2, 2, in notat. c*

DE SORTILEGIS, BLASPHEMIS ET SACRILEGIS.

TITULUS XVI.

§. 1. Sortilegi qui;

Sortilegi dicuntur, qui id, quod occultum est, eventu alicujus rei expiscantur: veluti sunt, exempli gratiâ, qui ad deprehendendum furem, vel ad præcognoscendum id, quod furtum suspicantur, codicem, tabulam, astrolabium vel aliud quid moveant aut inspiciunt, *cap. 1, & 2, Ext. De sortilog. can. unico xxvi. qu. 1.* Hæc enim, cum non sine dæmonis conspiratione, aut tacite ejus imploratione exerceri soleant, rectè improbantur à sacris Canonibus juxta illud D. Pauli: Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum, *1, ad Corinth. 10.*

§. 2, Sors nihil in se mali continet; & quando licitè exercetur.

Alioqui sors nihil mali in se continet, *can. 1, xxvi. qu. 2.* adeoque eâ uti licebit, si necessitas cogat, ut de *Matthia in Actis Apostolic. 1,* de *Jonatha 1, Reg. 14, c. 8* aut cum dubium factum inter partes sortitione dirimi placet, *l. Si qua 5, D. Fam. ercisc. l. Sæcum ambo 14, D. De jud. l. 3, Cod. Com. de leg.*

§. 3, De pœna sorte abutentium.

Illis igitur, qui sorte abutuntur, communio-
ne Ecclesiæ interdicatur, sicut & ariolis, aruspici-
bus, aliisque incantatoribus, *can. 1, & pas-
sim xxvi. quæst. 5.* Sed & jure civili in eos
animadvertitur, ut videtur est *tit. C. de malef. &
Mathem.*

§. 4, Blasphemi qui, & quando coerceantur.

Blasphemi suat, qui in Deum vel Sanctos con-
vitiium vel maledictum evomunt, *Apor. cap. 13, c. 6,
2, Ext. De malef.* Et hi ex præscripto juris Cano-
nici solemnî pœnitentiâ & pœnâ pecuniariâ
coerceantur, *d. cap. 2,* à jure civili ultimo suppli-
cio, si in Deum blasphemia admissa sit, pleantur,
Novel. Vi non luxuriensur hom. Verùm hæc pœna

quandoque immutantur, ut apud *Did. Covar. ad
cap. Quamvis De pact. in 6, 1, part. 5, 7, num. 1, cum
segg.*

§. 5, Sacrilegi qui, & de eorum animadversione.

Sacrilegi sunt, qui rem sacram è loco sacro,
vel non sacram de loco sacro, vel sacram de loco
non sacro, dolo auferunt, *can. Quisquis 5, similiter
xvii. qu. 4.* Latius hoc jure, quàm Civili, quo, in
re non sacra, quamvis è loco sacro sacrilegium
non admittitur, sed furtum, *l. divi D. Ad L. Jul.
pecul. Utroque tamen jure, si qua injuria loco di-
vino vel personæ Ecclesiasticæ illata est, sacrile-
gii nomine notatur, d. can. Quisquis cap. Si quis
suadente d. qu. 4, l. Si quis 10, C. Episc. & cler.*

§. 6, De pœna sacrilegorum.

Pœna in sacrilegos nunc asperior, nunc mitior
statuitur, pro ratione personæ, rei, & temporis,
adeoque arbitraria est, juxta *l. Sacrilegii D. Ad L.
Jul. pecul. d. can. Quisquis cum segg. tum alibi*
a *Libet hic Beda locum integrum subiicere, ex quo
textus noster desumptus est: Non exemplo Matthia, vel
quod tenas Propheta sorte deprehensus sit, indifferenter
sortibus est credendum: cum privilegia singulorum (ut
Hieronymus ait) communem legem sacerè omnino non
possint ex infra: Si qui tamen necessitate aliquâ compulsi
deum putant sortibus exemplo Apostolorum esse consu-
lendum, videant hoc ipsos Apostolos non nisi collecto fra-
trum casu & precibus ad Deum suis egisse Adip. & illos
mavido damnari, qui ex observatione diei, mensis, aut
anni fastum vel infaustum quid existimant,
can. fin. xxvi. quæst. 7, can. Non licet
& ibi Glos. cad. quæst. 5.*

DE HOMICIDIO VOLUNTARIO ET CASUALI,

TITULUS XVII.

§. 1. Homicidii nomine qua contineantur.

Homicidii nomine apud SS. Canones, non tantum venit hominis interemptio, sed & odium, detractio, persuasio mala, omnisque motus iniquus ad nocendum alteri *can. Homicidiorum cum 4. seqq. de poen. dist. 1.* Verum nos de eo agimus, quod ad hominis interuentionem pertinet. Ita enim accipitur sub tit. *Decretal. De homicid. & passim tit. D. & C. Ad L. Corn. de sicar.*

§. 2. Duplex homicidii genus, voluntarium, & casuale: & de pena voluntarii

Et hoc, si animo occidendi & dolo malo admittatur, voluntarium dicitur. Sin casu, id est, præter opinionem occidentis, casuale sive fortuitum, *l. 1. junct. l. in lege 7. D. d. tit. & passim Ext. h. tit.* Illud per Jus Civile capitali pœnâ vindicatur, *l. 3. §. legis Cornelia, iunct. l. penult. D. Ad L. Corn. de sicar. §. item lex Cornelia Inst. De publ. iud. per Jus Canonicum excommunicatione coercetur per iudicem, can. Itaque xxiv. qu. 3. can. Si quis membrorum xxiii. qu. 8. cum etiam depositione ab Ordine quocumque, si Clericus sit, iuxta dispositionem text. in cap. Cum non ab homine 10. Ext. de iudic. in cap. Tua Ext. de poenit. & remis. Addimus, dolo malo, ut excludamus militem, iudicem, ejusque ministrum; quorum ille hostem, hi nocentem impuam occidunt, *can. Miles cum seqq. xxiii. qu. 5.* licet non sine irregularitatis nota, *can. Si quis viduam dist. 50. cap. penult. Ext. De homic. cap. 5. cap. 9. Ext. Ne Clerici vel monachi Vide D. Th. in 2. 2. qu. 40. art. 2.* Item ut excludamus eum, qui defendendi sui causâ aggressorem suam interficit. *Clem. unica De homic. addo omnimod. Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. de reform. cum vim vi repellere omnes leges omniaque jura permittant, cap. Significasti 18. circa fin. Ext. hoc tit. cap. 3. §. si verò Ext. de sent. excom. l. 3. D. de iust. & iure, l. 1. §. vim D. De vi arm.**

§. 3. Homicidium casuale extra noxam est, nisi. &c.

Casuale sive fortuitum homicidium, quia fato

quodammodo imputatur, extra noxam est, *cap. Latro 9. Ext. De homic. l. 1. C. Ad L. Corn. de sicar. l. 1. in lege D. eod. tit. can. Frater dist. 50. nisi fortè culpa casum præcasserit: hac enim specie homicidium à Jure Civili puniatur, sed mitius, *l. 1. §. 1. D. eod. tit. l. Si putator 11. D. Ad leg. Aquil. & à SS. Canonibus irregularitate notatur, cap. 8. cap. 12. Ext. De homic. can. Hi qui dist. 50. sicut & si, dum rei illicitæ opera dabatur, casus incidit, *l. 1. cap. 8. cap. 10. cap. pen. & ult. Ext. De homic.***

§. 4. De homicidio à furioso & similibus perpetrato.

Casuali simile est homicidium admittum à furioso, infante vel dormiente. Nam & hujus nulla ratio ducitur, *Clem. unica h. t. l. Infans Ad leg. Corn. de sicar.*

§. 5. De infante in lecto reperto mortuo.

Illud verò de parentibus; apud quos infans in lecto repertus est mortuus, rescriptum est ab Alexandro III. ut si parentes non lateat, eum à se oppressum vel suffocatum esse, graviter in hoc se deliquisse agnoscant, & ad trium annorum pœnitentiam revocentur, quorum unum in pane & aqua transigant sin. incertum, pœnitentiam arbitrio imponeatis subeant, *cap. fin. Ext. De his qui filios occid. & ibid. Glos. & ali.* Cum in eo peccasse intelligantur parentes, quod infante in communem lectum recipiendo, periculo oppressionis vel suffocationis exposuerant, *can. Consulisti 1. quæst. 5.*

DE ADULTERIIS, STVPRO, RAPTIV, ET INCESTV.

TITULUS XVIII.

§. 1. De adulterio, & quæ ejus pœna.

Adulterium est alieni tori violatio, §. Cum ergo vers. adulterium verò est xxxvi, quast. 1, & propriè in nuptiam committitur de jure Civili, l. Inter 6, §. lex Julia D, Ad L. Jul. de adult. l. Fugitivus 22 §. D, De verb. sig. ex sententia SS, Canonum etiam in solutam mulierem à conjugato, can. 19, & can. fin. 32, qu. 5, cum hoc jure eadem in marito, quæ in uxore castimonia requiratur, can. Nemo blandiatur xxxi, qu. 4, can. Apud nos d, qu. 5. Adulter ex præscripto juris Civilis, ubi criminaliter actum est, gladio plectitur, l. Quamvis 30, in fine C, Ad L. Jul. de adult. §. item lex Julia Inst. De publ. iud. Adde Cujac. obser. lib. 20, cap. 18, adultera verò verberibus affecta, in monasterium detruditur, potestate interim marito relicta eam intra biennium repetendi, §. Si quando Novel VI nulli iud. Auth. Sed hodie Cod. Ad L. Jul. de adult. Idem receptum videtur à iure Canonico in cap. Gaudemus 19, Ext. De convers. coniug. At ubi civiliter, hoc est, ad separationem tori actum est, separatione factâ, dos & donatio propter nuptias innocenti conjugii applicantur, §. quia verò plurimas Novel. 117, Vi liceat matri & avia, cap. Plurimque ext. De donat. inter vir & ux. cap. 1, Ext. Vi lite conest. 2, Quamvis hoc iudicium non planè Civile sit, sed mixtum, id est, criminaliter & civiliter exerceatur, c. 5, Ext. de procurat.

§. 2. Maritus, adultera uxore, ingredi potest monasterium.

Quò sit, ut maritus, adulterâ uxore, monasterium ipse ingredi possit, cum à jure solvendi debitum conjugale uxori adulterâ solutus sit, cap. Constitutus 15, Ext. De convers. coniug. b

§. 3. Casus, quibus propter adulterium non fit separatio.

Vbi tamen uterque conjuax adulterium sive fornicationem admisit, agi non potest ad separationem tori, sed mutuâ compensatione delicta tolluntur, c. pen. & ult. ext. De adulter. & xxxii, quast. 6, per tot. l. Viro 40, D. Sol. matrim. Idem est, ubi alter alteri adulterii committendi auctor fuit, aut factum probavit, cap. Discretionem 6, Ext.

De eo qui cognovit consang. l. Cum mulier 49, D. Sol. matrim. l. Si uxor 13, §. fin. D, Ad L. Jul. de adult. Cur enim, inquit scitè Scavola, improbet maritus mores uxoris, quos ipse aut antè corrupti, aut postea probavit, d. h. Cum mulier. Et cum adulterium sine dolo malo non admittatur, l. pen. D, Ad L. Jul. de adult. consequens est, nec eam ab usu tori submoveri posse, quæ vel falsò credens maritum mortuum, alteri nupsit, can. 1, xxxiv, qu. 1, cap. 2, Ext. De sec. nupt. vel errore lapsa se alteri tamquam marito suo commiscuit, can. In lectum ead. quast. 1, iuncta l. Igitur 22, vers. & generaliter D, De liberal. caus.

§. 4. De pœna in Clericos adulteros.

Atque hæc in laicos statuta sunt. Clerici verò propter adulterium admissum à se, deponuntur à iudice Ecclesiastico; nisi peractâ pœnitentiâ cum iis dispenset Episcopus, cap. Cum non ab homine 10, iuncto c. At si Clerici 4, §. fin. Ext. De iud.

§. 5. De stupro & eius pœna.

Stuprum committitur, si quis sine vi virginis vel viduæ honestè viventi vitium intulerit, l. Inter 6, §. Stuprum D, Ad L. Jul. de adult. §. item lex Julia Inst. De publ. iud. Ejusque pœna est ex jure Civili in personis honestis, publicatio dimidiæ partis bonorum; in humilibus coercitio corporis, cum relegatione, d. §. item lex Julia. Nonnumquam gravius vindicatur, pro personarum & delicti qualitate, ut in d. §. item lex Julia vers. sed & eos in l. 1, §. fin. D, De extraord. crim. l. unica Cod. de mulierib. qua seprop. servis iunx. in l. Si quis aliquid 8, §. qui nondum D. De pœnis in l. unica C, Si quis eam. Ex præscripto verò SS, Canonum compellitur is, qui stuprum virginis intulit, eandem docere & in uxorem ducere: nisi pater virginis nolit eam ducere, quâ specie dotasse eam sufficit. Sin ipse stuprator nolit eam in uxorem recipere, tunc hic corporaliter castigatus, & excommunicatus in monasterium ad agendam pœnitentiâ detruditur, c. 1, & 2, Ext. De adult.

§. 6. De

§. 6. De pœna stupri sacrarum Virginum.

In eos verò, qui sacris virginibus stuprum intulerunt, hæc pœna constituta est à sexta Synodo: Si quis, inquit, Episcopus, Presbyter Diaconus aut Subdiaconus, aut Lector, aut Psalmista, aut Ostiarius, cum muliere sanctificata Deo, mœchatus fuerit, deponatur, quia sponsam Christi corrumpit: Si verò laicus, excommunicetur, *can. Si quis Episcopus xxvii, qu. 1, adde cap. Cum non ab homine Ext. De ind. & can. 5, ead. qu. 1*, Amplius ex Justiniani constitutione, res ejus monasterio applicantur, aliaque pœna hoc scelus coercetur, *Novel. 123, §. penult. can. Si quis rapuerit xxvii, qu. 1, De fornicatione cum filia spirituali vide can. penult. & ult. xxx, q. 1.*

§. 7. De raptu, ejusque pœna.

Raptus est, si honesta virgo, vidua, vel etiam uxor alterius abducitur, licet non invita; præcipue verò, si Deo dicata sit virgo vel vidua. Pœna ejus est in raptorem & ipsius comites, ultimum supplicium & bonorum ademptio, quæ raptæ mulieri ingenuæ, vel aliis, juxta ordinem juris civilis applicantur, *l. unica C. De raptu virg. & Nov. 123, §. penult. & can. Si quis rapuerit xxvii, q. 1*, Item interdictio matrimonii inter raptorem & raptam, ex Justiniani constitutione, *d. l. unica & d. Nov. 123*. Quod tamen jure Decretalium immutatum est, *c. fin. & pen. Ext. De raptorib. dummodò rapta à raptore separata, & in loco tuto constituta, liberè cum raptore contrahat: alio qui quamdiu in potestate raptoris est, nullum inter eos consistere potest matrimonium. Concil. Trid. sess. 24, cap. 6, de reform. matr. adde & can. Puellis xxxvi, qu. 2*, aliisque pœnis hoc crimen persequitur Coacilium Trid. quas supra retulimus, *lib. 2, tit. De homicidiis, adulteris §. fin.*

§. 8. De incestu.

Incestus committitur per concubitum cum consanguinea vel affine, *can. De incestis xxxv, qu. 2, l. fin. D. De ritu nupt. non tamen quavis, sed cum qua interdictæ sunt nuptiæ. Covarr. in 4, lib. Decr. in 2. parte cap. 6, §. 8, junge qua diximus supra de cognatis & affinib. Unde & nuptiæ inter hos de facto contractæ, incestæ appellantur, *Novel. de incest. nupt. in princ. l. fin. C. De incest. & inutil. nupt. can. Nec eam xxxv, qu. 1*. Sed & virginum Deo consecratarum non solum incesta, sed & sacrilega con-*

junctio est, *can. Virginib. can. Si quis sacro xvii, quæst. 1.*

§. 9. De pœna incestus

Porro incestus pœna eadem est, quæ adulterii, *l. Si adulterium 38, in princ. D. Ad L. Jul. de adult. Covarr. d. loco: incestarum verò nuptiarum, exilium & bonorum publicatio; si tamen liber ex alio matrimonio legitimi non supersint. Præterea in vilibus personis additur corporis coercitio, *Nov. 12, de incest. nupt. l. 4, C. eod. tit. adde Covarr. d. loco*. In eum verò, qui virginem Deo consecratam jungendi matrimonii causâ vel saltim attentaverit, capitalis pœna constituta est, *l. Si quis non dicam 5, C. De Episc. & Cleric. adde & Novel. 123, §. pen.* Et hæc juris civilis sunt. A jure Canonum incestuosus fidelium communione & matrimonio etiam cum alia interdicitur, *can. fin. xxxv, qu. 3, can. Quædam cum aliquot seq. xxxvi, qu. 7, can. 8, 9, & 10, xxxvi, qu. 1, cap. 1, 2, 4, & 8, ext. De eo qui cogn. consang. licet contractum cum alia permitatur: cum non sit impedimentum dirimens, sed tantum impediens matrimonium, *cap. Transmissæ 4, ext. d. tit. Adde Navar. in Manuali cap. 22, num. 74, cum seq. & supra tit. de imped. non dirimentibus.***

Notatio in tit. 18.

a Etsi in hac repares sint maritus & uxor, ut propter alterius adulterium sive fornicationem alter agere possit ad separationem tori: tamen in hoc distant quoad litem dotis, & donationis propter nuptias, quod uxor ob solum adulterium dotem amittat, maritus verò non ante, quam si frequenter cum alia muliere egerit, & bis meritus non respuerit, ita enim colligitur ex *Novel. 117*. Ut liceat matri & avia, §. caulas verf. si quis in sua domo. Et de hac materia vide latius *Did. Covarr. de matrim. part. 2, cap. 7, §. 5, & 6.*

b Sed an occidere licet marito uxorem suam in adulterio deprehensam? Minime, quamvis ipsum adulterum, si vilis persona sit, impune occidat domi sua in adulterio repertum, *l. Marito 24, D. Ad L. Juliam de adul. & l. Gracchus C. eod. tit. Item & jure Novell. licet marito occidere quemcumque adulterum in suspecto loco cum uxore colloquentem; dummodò prius eum ter in scriptis admonuerit, ut videre est in §. his quoque *Novell. 117*. Ut liceat matri & avia, in *Auth. Si quis C. Ad L. Jul. de adult.* Sed hæc ex concessione juris Civilis; quo etiam permissum est patri adulterum quemcumque cum filia, etiam in domo mariti, in eodem*

Vuuu

disto

delicto inventum occidere; modo & ipsam filiam simul vel in continenti occidat, eaque in ipsius potestate sit, non sui iuris, l. Patri 20, cum 3, ll. seqq. D. jam d. tit. At de iure Canonico hac nullatenus permittuntur marito & patri, per text. in can. Inter hæc admoere in vers. nam si verum, & can. Si quod verius 33, qu. 2, latius Covarr. cap. 7, §. 7, num. 15, de matrim. p. 2.

§ 1. Verò qui eam ducere prohibetur, utpote aliam uxoratus, aut sacro Ordine insignitus, nihilominus ad dotandum eam tenetur. Nam licet hic à matrimonio contrahendo liberatus sit, non tamen à dote danda vel constituenda; cum utrumque sit in obligatione, arg. l. Celsus 28, §. 1, D. De recept. arb. Panormit. & Henr. Boich ad cap. 1, & cap. 2. Ext. De adult. ubi latius vide.

DE CRIMINE FALSI.

TITULUS XIX.

§. I. Quid sit falsum.

Falsum nihil aliud est, auctore Justiniano, Novel. 73. De instrum. caut. in princ. quam veri imitatio. In crimen verò & coercitionem falsum incidit, si dolo malo admittatur, l. Nec exemplum 20, C. Ad L. Corn. de falsi. Vnde qui falsum dicit, quod putat verum, falsi crimine non obstringitur; cum non tam fallat, quam fallatur ipse, can. Homines cum can. seq. xxii, qu. 2.

§. 2. Quibus modis falsum incurrat.

Variis modis crimen falsi incurritur, sicut multis exemplis comprobant Juris utriusque tituli, in Decret. De crim. falsi, in D. & Cod. Ad L. Corn. de falsi. quæ facilioris doctrinæ causâ ad hæc quatuor capita revocari possunt: Aut enim falsum admittitur dicto, aut seripso, aut facto, aut usu. Dicto, ut in teste, qui falsum dicit, aut verum suppressit, cap. 1, Ext. hoc tit. l. 1, D. Ad l. Corn. de falsi. Vterque reus est, inquit reus, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit: quia & ille prodesse non vult, & iste nocere desiderat, d. cap. 1, & can. Quisquis 21, quæst. 3. Seripso, si quis testamentum, vel aliud instrumentum falsum scribat, signet, recitet, celet, subiciat, §. item lex Cornelia de falsis Instit. De publ. iud. l. 1, §. qui in rationib. l. 2, & l. Quid sit falsum 23, D. d. tit. Item si in testamento quid sibi adscribat, l. Si quis legatum 6, D. eod. Fa. Cto, si quis falsam monetam perecutiat, l. Qui falsum 19, D. eod. & tit. C. De falsa mensura; si in aurum quid vitii addat; si argenteos nummos adulterinos conflet, l. Cornelia 9, D. d. tit. si pondera aut mensuras publicè probatas corrumpat, l. penult. D. eod. si signum adulterinum faciat, sculpat, exprimat, d. loco Instit. si duobus eandem rem in solidum vendat, l. Qui duob. 21, D. eod. si iudicem corrumpat, l. 1, in princ. & d. l. Qui duob. Vsu

denique, si quis falsis literis utatur, cap. Ad falsariorum 7, Ext. hoc tit. si falsas leges alleget, l. In d. d. tit. si falsum nomen aut cognomen sibi usurpet, l. Falsi 13, l. nos 27, in fine D. eod. aliisque exemplis hæc illustrari possent, nisi prolixitas molesta esset.

§. 3. Pœna falsi ex iure civili.

Pœna falsi in servos ultimum supplicium est, in liberos deportatio & omnium bonorum publicatio, d. loco Instit. & l. 1, in fine D. Ad L. Corn. de falsi. Auth. Bona damnatorum C. De bonis proscript. & ibi d. Interdum tamen pro criminis qualitate remissius, ut in d. l. Quod duob. in fine, interdum severius vindicatur, ut in crimine falsa moneta, adde d. ad d. l. 1, in fine.

§. 4. Pœna falsi ex iure Canonico circa literas Apostolicas.

Adde ex præscripto juris Canonici: si quis falsum circa Apostolicas literas admiserit, excommunicatione notatur, & Clericus officis & beneficiis Ecclesiasticis exiit; rum etiam degradatur, si per se hoc crimen exercuerit. Ita enim ab Innocentio III. disertè constitutum est, cujus verba, plenioris cognitionis causâ, hic libet subijcere: Ad falsariorum confundendam malitiam, & infra: De communi fratrum nostrorum consilio duximus statuendum, ut, qui literis nostris uti voluerint, eas primò diligenter examinent: quoniam si falsis literis se usos dixerint ignoranter, eorum serâ pœnitentiâ evitate, æquibunt pœnas inferius annotatas. Nos enim omnes falsarios literarum nostrarum, qui per se vel alios vitium falsitatis exercent, cum fautoribus & de-

& defensoribus suis, anathematis vinculo decernimus innodatos: statuentes, ut Clerici, qui falsarii fuerint deprehensi, omnibus officiis & beneficiis Ecclesiasticis perpetuo sint privati; ita quod qui per se falsitatis vitium exercuerint, postquam per Ecclesiasticum iudicem fuerint degradati, seculari potestati tradantur, secundum constitutiones legitimas puniendi: per quam & laici, qui fuerint de falsitate convicti, legitime puniantur. Qui vero sub nomine nostro literis falsis utuntur, si Clerici fuerint, officiis & beneficiis Ecclesiasticis spoliuntur; si laici, tandem maneat excommunicationi subiecti, donec satisfaciant competenter: ita tamen, ut in istis & in illis malitia gravius quam negligentia puniatur. Quod & de his, qui falsas literas impetrant,

statuimus observandum, *text. est in d. cap. Ad falsariorum 7, Ext. h. tit. junge cap. penult. Ext. eod. ubi in literis simplicis iustitie aliud statuitur. Sed Bulla cœna Domini §. 6, etiam ad literas iustitie & ad alios casus hanc constitutionem Innocentii III, extendit, ut videtur est apud Navar in Manuali cap. 27, n. 62.*

§. 5. De pœna Clericorum, qui falsum extra literas Apostolicas admiserunt.

Extra literas Apostolicas Clerici, si falsum admiserint, ab Ecclesiastico iudice deponuntur, *per text. in cap. Cum non ab homine 10, Ext. De iudic. & pro gravitate criminis quandoque in monasterium coguntur, can. Si Episcopus dist. 50, inuncto c. Tua 6, Ext. De pœnis.*

DE FURTO, RAPINA, INJURIA ET DAMNO DATO.

TITULUS XX.

§. 1. De furto, rapina, & utriusque pœna.

Furtum est concretio rei fraudulosa, lucri faciendi gratiâ, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus, possessionisve, *text. est in l. 1, d. De furt. in §. furtum Instit. De oblig. qua ex delicto nasc. Quæ concretio si per vim fiat, adsciscit sibi nomen rapinæ, Instit. De vi bon. rapt. in princ. Illius pœna dupli est, si furtum sit non manifestum: si manifestum, quadrupli, §. pœna Instit. d. tit. quemadmodum & rapinæ; nisi quod in pœna rapinæ & res ipsa in sit, d. tit. Instit. circa princ. Amplius ex decreto Marci, aliorumque Imperatorum, si quis vi rapuerit vel invaserit rem alicuiam, post restitutionem ipsius rei, tenetur etiam ad æstimationem ejus: si vero rem propriam, cadit rei suæ dominio, vel si debita sit, jure suo privatur, l. ext. tit. 13, d. De eo quod met. causâ, l. Si quis in tantam Cod. Unde vi, §. ita tamen Instit. De vi bon. rapt. Sed & criminaliter ad vindictam publicam utrumque delictum exercetur: verum hac specie extraordinaria pœna ex arbitrio iudicis statuitur, l. fin. d. De furt. c. l. fin. d. De privatis delict. si reus laicus sit; si Clericus, deponitur per Ecclesiasticum iudicem, cap. Cum non ab homine 10, Ext. de iud. Imo & lege Juliâ de vi rapina coercetur, tit. D. c. Cod. Ad L. Iul. de vi publi. c. vi privata. Hodie ex Cavoli V, constituit pœna ferè ordinaria est, ut videtur est in ordinationib. pœnalib. tit. 157, cum seqq.*

§. 2. De iniuria.

Injuria ex eo dicta est, quod non jure fiat: omne enim quod non jure fit, injuriâ fieri dicitur; hoc generaliter. Specialiter autem injuria dicitur contumelia, *text. est in l. 1, d. De iniur. ut hîc, Et hæc quandoque re, quandoque verbis, quandoque literis, interdum gestu inferitur. Re, si manus alicui inferantur. Verbis, si convicium fiat, d. l. 2, §. iniuriam d. d. tit. Literis, si libellum famosum quis scripserit vel scribi curaverit, vel reperiunt non supprefferit, l. unic. C. De famos. libell. l. Lex Corn. §. si quis D. De iniur. Gestu, si quis ad invidiam alicujus veste lugubri utatur, aut squallidâ; vel si barbam demittat, l. Item apud Labeonem 15, §. generaliter D. d. tit. Et generaliter, quod ad alicujus infamiam fit, injuriâ fieri dicitur, d. i. generaliter. Quâ significatione hoc loco accipitur.*

§. 3. Propter injuriam & civiliter & criminaliter agi. & de pœnis.

Ob illatam injuriam civiliter agitur vel criminaliter: ut & in cæteris delictis, de quo in §. cæterum inf. de pœnis. Civiliter, ad æstimationem injuriæ; ut scilicet iudex tantum reum condemnet, quanti injuriam passus æstimaverit, vel minoris, prout iudici visum fuerit, §. in summa, *Yuuuz* *inuncto*

Juncto §. poena Insti. De injur Criminaliter, ad poenam extraordinariam officio judicis reo irrogandam, d. §. in summa, & l. fin. d. De injur. Hæc ex præscripto juris civilis.

§. 4. De poenis Juris Canonici.

Quibus adiciatur ex jure Canonico, eum, qui violentas manus in Clericum vel Religiosum injecerit, ex communicatione ipso facto subdi, *can. Si quis suadente xvii, quest. 4, cap. 5, cum similib. Ext. de sent. excom. Item qui Cardinalem fuerit hostiliter infecurus, vel percussit, &c., in eum veluti Majestatis reum animadverti, ex Bonifacii VIII, constitutione: cujus verba hic partim repetenda sunt: De communi fratrum nostrorum consilio hæc in perpetuum valiturâ constitutione sancimus, ut, si quis deinceps in hoc sacrilegii generis irreperit, quod sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem fuerit hostiliter intecturus vel percussit aut ceperit, vel locius fuerit facientis, aut fieri mandaverit, vel factum ratum habuerit, aut consilium dederit vel favorem, aut postea receptaverit vel defensaverit scienter eundem, sicut reus criminis læsæ Majestatis perpetuò, sit infamis, diffidatus, nihilominus & bannitus: sit intestabilis, ut nec testamenti liberam habeat factionem, nec ad alicujus bona ex testamento vel ab intestato vocetur: quatenus ab omni successione repulsus, publica quoque repulsâ confusus minus inveniat suæ realitæ successorum: sicut habitationes ejus deserta, & ut non sit, qui eas inhabitet, dentur cuncta ipsius ædificia in ruinam: & ut perpetuâ notam infamiae perpetua ruina testetur, nullo tempore reparentur, nullus ei debita reddere, nullus respondere in judicio teneatur: quidquid etiam in bonis invenitur ipsius, sive vel Reipublicæ dominio applicetur &c. *text. est in cap. Felicis 5, de poenis lib. 6, ubi & plures alia poena statuuntur, etiam quoad liberos.**

Qui verò in Episcopum hæc perpetraverit, iisdem ferè poenis coercetur, ex Clementina constitutione, *in cap. 1, de poenis, quod vide: adde & cap. unicum eod. in Extravag. Ioan. XXII, can. Si quis sacerdosum, can. Conjuratorem xi, quest. 1, in auctorem famosi libelli, aut qui eum inventum non reperit, hic Canon extrat Hadriani Papæ: Qui in alterius famam publicè scripturam aut verba contumeliosa confinxerit, & repertus scripta non probaverit, flagelletur: & qui ea prius invenit, rumpat, si non vult auctoris facti causam*

incurrere, *text. est in ean. Qui V, q. 1, adde & can. 1, ead. q. 1.*

§. 5. De damno dato.

Damnum culpâ, etiam levissimè, datum tam in rebus animatis, quam inanimatis, resarciri debet ab eo, qui intulit, *notor. d. C. & Insti. Ad L. Aquil. præcipuè l. nolo Aquilia 45, d. d. tit. cap. fin. Ext. de injur. l. Si usus fructus 10, & l. i. d. d. De usufr. cum factum cuique solum nocere debeat, non alteri. l. Factum d. de rog. jur. Idem est, si damnum ex imperitia datum sit, veluti ab Assessore, l. 2, d. Quod quisque juris &c. Medico, l. Illicitas 6 §. sicuti d. De offic. Praesidis l. Quæ actione 7, in fine d. Ad L. Aquil. Advocato, artifice, qui juxta præcepta artis suæ diligentiam operi non adhibuit, & idcirco damnum datum sit, l. Si servus 20, §. Si calice d. Ad L. Aquil. Juncto cap. Ad aures & ibi Glof. Ext. De asato & qual. text. est in cap. fin. Ext. De injur. Si quidem imperitia culpa adnumeratur, l. Imperitia d. De R. I. cum non debeat quis id affectare, in quo vel intelligit, vel intelligere debet infirmitatem vel imperitiâ suam alicui periculosam futuram, l. Idem juris 8, d. Ad L. Aquil. & d. §. sicuti; Idem & in eo est, cujus negligentia damnum illatum est, d. cap. fin. Ext. De injur. ut in Medico, qui dereliquit curationem ægroti. d. l. Idem juris in Notario, cujus negligentia error in instrumento admittitur, l. fin. Cod. De magistrat. conveniunt. & in eo, qui negligenter ignem custodivit, ne longius egredereetur, d. l. Si servus §. si feneratorius. l. Qui occidit 30, §. in hac quoque actione d. Ad L. Aquil. cap. 1, Ext. De injur. Nam hi omnes, & similes, ad restitutionem damni dati rectè conveniuntur, *dictis juris.**

§. 6. De damno dato animalibus & servis.

Quod si animal pauperiem, id est, damnum dederit, contra dominum ejus agitur: cui tamen liberum erit, vel præstare æstimationem damni, vel animal noxæ dedere, hoc est, vivum tradere, d. cap. fin. *notor. quod si animal, & cap. 3, Ext. de injur. Idem & in servo observatur, ut, si is damnum dederit, vel etiam injuriam seu furtum fecerit, vel quid rapuerit, similiter dominus noxaliter teneatur, & præstando æstimationem damni, vel servum dedendo, liberetur, tit. Inst. & d. De noxalib. act. Porro in animalibus feris (quorum numero habeantur leo, aper, ursus, vespes, canis,) hoc amplius est, ut si soluta vel ligata*

eo in loco, quâ vulgò dicitur, liberum hominem occiderint, in ducentos solidos; sin tantum nocuerint, quantiæquum & bonum iudici videbitur; cæterarum verò rerum, quantum damni sit, in dupli dominus condemnatur, l. *Et enim* 40, cum 2, l. *sequi* d, De aditio edicti §, *fin.* Infit. Si quadrup. paup. & d, c, *fin.* in verb. quod tamen ad liberationem.

§. 7. De libero homine vulnerato aut aliter læso.

In libero homine vulnerato aut aliter læso, eo jure utimur, ut expensæ in curatione factæ & operæ amittæ, quasque amissurus est, præsten-

tur; deformitatis verò nulla ratio habeatur, cum liberum corpus non recipiat æstimationem, l. *Libet homo* 12, junctâ l. *Qua actione* 7, D, Ad L. Aquil. l. *Ex hac* 3, D, Si quadrup. paup. feciss. l. *fin.* d, De his qui desecerunt & c, l. *Ext.* De injur.

Notatio in Tit. 10.

a In muliere tamen, qua nuptura est, videtur habenda ratio deformatatis, juxta ea, qua tradit Anton. Gomez Var. resol. tomò 3, cap. 6, nu. 12, & facit arg. deductum à virgine stuprata, de qua supra tit. de adult. §. *stuprum.*

DE VSVRIS.

TITULUS XXI.

§. 1. Usura est, species rapinæ, & quando committatur.

Usura species rapinæ est, can. Si quis usuram xiv, q. 4, committiturque, ubi lucrum sorti, id est principali pecuniæ, quæ debetur, accedit, five lucrum in pecunia numerata, five in alia re consistat, can. 1, cum 3, *sequi* xiv, q. 3, five expressè, five tacitè, hoc est, solo animo lucrum conceptum sit, c. *Consuluit* 10, *Ext.* De usur. appellaturque alio nomine tænus, can. 2, xiv, q. 4, l. *Qui sine usuris* 38, D. De neg. gest. & tit. D, & C, De nauis fœnore, quasi fœtus pecuniæ, utpote quòd in fœnore nummus nummum pariat, ut Arist. auctor est, lib. 1, *Polit.* c, 7, 2

§. 2. Conventio de lucrando fructibus pignoris usuraria est, exceptis tribus casibus singulis.

Hinc conventio illa inter creditorem & debitorem usuraria est, ut tamdiu creditor lucretur fructus pignoris, donec debitum illi exsolutum sit, c. *Conquestus* 8, junctò c. 1, & 2, *Ext.* De usuris & §. *Vnde sup. de pignori.* præterquam si pignus à socero datum sit genero pro dote nondum à se numerata; qui interim, donec promissa dos solvatur, rectè percipit fructus pignoris, neque in sortem imputare cogitur; eùm frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera matrimonii supportanda, c. *Salubriter* 10, *Ext.* hoc tit. Idem est, & si feudum à vasallo in pignus datum sit ipsi domino, c. 1, *Ext.* De feudis, d, c, *Conquestus* 8, *Ext.* De usur. aut à laico pignori obligata sit Clerico res beneficii sui, quam hoc modo redimendam putaverit Clericus, c. 1, in *fine* *Ext.* hoc tit. Nam & utro-

que hoc casu fructus licitè percipiuntur, neque in extenuationem sortis cedunt, *dictis* jurib. Dum tamen interim vasallus, quo apud dominum est feudum, immunis sit ab onere præstandi servitii feudalis, d, c. 1, De feudis. Hostres casus laicè explico in *tract.* de Usuris c, 6.

§. 3. Usura in contractu emptionis; in quo dubius tamen eventus usuram excusat.

Et quamvis usura propriè circa contractum mutui versetur; nonnumquam tamen & in aliis contractibus admittitur, veluti si in fraudem usurarum emptio & venditio contrahatur, ut in c. *Ad nostram* 5, *Ext.* de empt. & vend. & in cap. *Illo* 4, *Ext.* de pignori. l. 3, *Cod.* Plus valere quod ag. Aut si res pluris vendatur propter dilatam solutionem, cap. *In civitate* 6, cap. *Consuluit* 10, cap. *fin.* *Ext.* De usur. licet ab usura excusetur venditor, si verisimiliter dubitetur auctum vel diminutum iri pretium rei vendita tempore solutionis; neque contractus tempore erat rem venditurus, d, cap. *In civitate* & d, cap. *fin.* & *ibid.* laicus d, *facit* l. *Si talege* 17, *Cod.* de usur. Nam & hujus dubii eventus causâ nullam vituram incurritis, qui decem solidos dat, ut alio tempore totidem sibi grani, vini vel olei mensuræ reddantur.

§. 4. De pœnis usurariorum.

Usurarii, si laici sint, jubentur excommunicari; si Clerici, suspendi ab officio & beneficio, cap. *Præterea* 7, *Ext.* De usur. imò & deponi ab officio

Vuu 3

cio

cio Ecclesiastico, iuxta cap. 1, Ext. eod. can. 4, & cap. 8, rix. qu. 4, Adde, & usurarios manifestos, nec ad communionem altaris, nec Ecclesiasticam sepulturam, nec ad oblationes admitti, cap. 3, Ext. eod. & ne quidem ad testamenti factionem, priusquam usuras restituant, vel de iis restituendis idoneè caveant, iuxta formam cap. 2, eod. in 6.

§. 5. Pœna eorum, qui admittunt usurarios.

Sed & eos, qui usurarios manifestos in ditione suas admittunt, vel ipsis ædes locant, certæ pœnæ constitutæ sunt à Gregorio X, in generali Concilio Lugdunensi: quemadmodum & in Potestates, Capitaneos, Rectores, Consules, Judices, Consiliarios, aliosque Officiales communitatum, qui de de usuris solvendis, vel non resti-

tuendis statuta condunt, dicant, vel scribunt, vel secundum ea pronuntiant, à Clemente V, in Concilio Viennensi. Vti latius est in eorum constitutionibus, quarum illa Gregorii extat in c. De usur. in 6, Clementis verè in c. 1, eod. in Clement.

Notatio in Tit. 21.

a Ex quo liquet quod præter sortem, id est, summam principalem accipitur, propter damnum emergens aui lucrum cessans, non esse usuram, ed quòd non tamquam factus pecunia sed tamquam interesse, & sic ex alia causa petatur vel solvatur. De quo Covarr. Var. resol. lib. 3, cap. 4, Toletus de Sacerdot. instruct. lib. 5, cap. 3, 2, & 33, & Navar. in Manuali cap. 17, nu. 211, cum seqq.

DE POENIS.

TITULUS XXII.

§. 1. Pœna delictorum quare inventa.

Pœnæ ideo à jure inventæ sunt, ut earum saltem metu homines in officio contineantur, Resque publica pacata & salva persistat, l. Si operis 14, C, De pœnis, l. Licentio 9, §, quod licitè D, De publican l. Ita vulneratus 52, circa fin. D, Ad L, Aquil. cap. VI fama 35, Ext. De sent. excommun.

§. 2. Quædam pœna certa sunt, quædam arbitraria.

Harum quædam à jure delinquentes certæ statutæ sunt, uti videre est in superiorib. tit. ubi de delictis differimus, quædam arbitrio judicis relinquuntur; ut in iis delictis, in quibus nulla certa pœna in delinquentem à jure constituta est, cap. 14, in fine De offic. & pot. iud. deleg. c. fin. Ext. De transact. p. 1, §, expilatores D, De effractorib. l. Hodie 11, D, De iocnis l. Radius 4, D, De incendio ruina, l. fin. D, De niur.

§. 3. Pœna certa quandoque augetur, vel minuitur.

Et licet iudex à præscripta in jure pœna discedere non debeat, per text. in l. 1, §, 1, D, Ad S, C, Turpil in c. 1, c. 5, Ext. De constitut. c. 1, Ext. De sent. & re iud. si tamen causa subsit, permissum est illi, pœnam vel augere, vel diminuere, vel etiam prorsus remittere, l. 3, & l. 4, C, ex quib. caus. infam. rog. l. Quid ergo 13, §, pœna gravior D, De his qui not.

inf. l. Non omnis 5, D, De re mil. l. Divus 14, D, Ad L, Corn. de falsis, l. Hodie 13, D, De pœnis, & c. fin. Ext. De transact. l. Divus 14, D, De off. præsid. & l. Infans 12, D, Ad L, Corn. de sicar. in p. c. t. circumstantiis causæ, personæ, loci, temporis, quantitatis, qualitatis, eventus, de quibus in l. Aus facta 16, & in l. Respiciendum 11, D, De pœnis.

§. 4. Ecclesiasticus iudex à pœna & iudicio sanguinis abstinere debet.

Eo tamen observato in iudice Ecclesiastico, ut is numquam sanguinis pœnam inferat, c. Clerici & c. penult. Ext. Ne Clerici vel monachi; sed si qua sibi ex delegatione Principis, vel alio jure cognitio criminum competit, eam, si sanguinis pœnam irroget, vel ad ipsum Principem remittat, ut in c. 1, Ext. De raptorib. vel alicui laico demandet, c. fin. Ne Clerici vel monachi in 6, b

§. 5. De delicto sapius repetito, & de pluribus delictis ex eodem facto emergentibus.

Delictum quoties repetitum est, toties ejus nomine condemnatio fit, c. 1, Ext. De pœnis; & si ex eodem facto plures delicti species oriuntur, totidem pœnæ infliguntur, l. 2, D, De priv. delict. adde ibid. Bart. aut saltem altera imponenda augetur, per l. unic. §, 1, vers. que multo magis C, De raptu virg. l. Si adulterium 38, D, Ad L, Iul. de adult.

§. 6. Ext.

§. 6, Ex quolibet delicto duplex iudicium nasci.

Cæterum ex omni delicto duplex iudicium nascitur; unum civile, alterum criminale. Civile, veluti si de possessione mea dejectus, experiar interdito. Vnde vi. Criminale, si ejusdem nomine instituat accusationem ex lege Julia de vi, text in l. unica C. Quando civilis actio crim. præjud. Vel, si re mihi furto subtractâ, agam ad pœnam furti dupli vel quadrupli; quod & civile iudicium est: aut si ad extraordinariam pœnam furi per iudicem imponendam; quod criminale est, l. fin. D. de privatione delicti. Et utrobique Bart. Quippe ex delicto tam publico quàm privato duplex offensio nascitur; una parti læsâ, altera Reipublicæ, l. Licetatio 9, §. quod illicitè D. De publican. ut tamen utrumque iudicium non simul intenteatur, sed alterum post alterum, d. l. unie. & si utrumque ad vindictam tendat, uno intentato, alterum profus quieteat, l. Quod S. C. 6, D. De injur. ne unius delicti nomine plures pœnæ infligantur, c. 4, §. fin. Ext. De iudic. Et ubi Glof. 7. Sanctio 41, in fine D. De poenis

§. 7, De duplici depositione Clericorum.

Porrò depositio Clerici, cuius sæpè mentio facta est supra, duplici modo infertur; vel actualiter, vel verbaliter: Hinc depositio actualis & verbalis. Illa solemnè degradatione fit, instar exautorationis militaris; cum scilicet Clerico ob delictum vestes & insignia Ordinis sui detrahuntur per Episcopum retrogrado ordine. Verbalis verò fit per solam sententiam Episcopi, assistente certo numero Episcoporum, si Clericus, qui deponitur, in sacris constitutus sit. In minoribus etenim nullâ aliorum Episcoporum præsentia opus est, sed sufficit sententia Episcopi, c. 2, Et ubi latius vide, De poenis lib. 6, in fine can. 5, cum seqq. v. q. 7. Cæterum hodie ex præscripto Concilii Tridentini, licet Episcopo per se, seu illius Vicarium in spiritualibus generalem, contra Clericum in sacris, etiam Presbyteratus, Ordinibus constitutum, etiam ad illius condemnationem; nec non verbalem depositionem, & per se ipsum etiam ad actualem atque solemnem degradationem ab ipsis Ordinibus & gradibus Ecclesiasticis, in casibus, in quibus aliorum Episcoporum præsentia, in numero à Canonibus definito, requiritur, can. 1, c. 1, §. xv, q. 7, etiam absque illis procedere: adhibitis tamen & in hoc sibi assistentibus totidè Abbatibus usum mitræ & baculi

ex privilegio Apostolico habentibus, si in civitate aut diocesi reperiri & commodè interesse possint; alioquin aliis personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, quæ ætate graves ac juris scientiâ commendabiles existant, text. est in cap. 4, de reformat. sess. 13, Eadem forè depositionis forma olim singulari iure constituta erat in Clericum propter hæresin, sicut videre est in c. 1, De hæres. lib. 6.

§. 8, Depositio actualis quibus casibus locum habeat.

Actualis autem sive solemnè illa degradatio, ex tribus tantum causis infertur: videlicet, propter hæresin, c. Ad abolendam 9, Et c. excommunicamus 15, Ext. De hæres. propter crimen falsi litterarum Apostolicarum, c. Ad falsariorum Ext. De crim. falsi vide latius supra de crim. falsi §. addo, & propter delictum in Episcopum admissum. De duobus illis supra retulimus, ut De hæreticis §. in hæreticos. Et ut. De crim. falsi d. §. addo; de tertio ita Canon loquitur: Si quis Sacerdotum vel reliquorum Clericorum, suo Episcopo inobediens fuerit, aut insidias ei paraverit, aut contumeliam, aut convitia intulerit, & convinci potuerit: mox depositus curiæ tradatur, & recipiat quod iniquè gessit, text. est in can. Si quis Sacerdotum XI, quest. 1, §.

§. 9, Degradatio actualis præsentè magistratu civili fit.

Ex his igitur causis Clericus degradatur actualiter, præsentè tamen magistratu civili, cui post degradationem coercendus relinquitur. Pro quo tamen ex rescripto Innocentii III, debet Ecclesia efficaciter intercedere, ut, circa mortis periculum, circa eum sententiam moderetur, cap. Novimus 27, Ext. De verb. sig. junge Et c. 2, De poenis in 6.

§. 10, Verbalis depositio quibus casibus locum habeat.

Verbalis depositio sive degradatio locum habet in cæteris criminibus, veluti furto, homicidio, perjurio, & similibus, d. c. Cum non ab homine 10, Ext. de iudic. in quibus tamen si quid atrocius admissum fuerit à Clerico, post depositionem etiam in arctum monasterium pœnitentiæ causâ includitur, iuxta cap. Tue 6, Ext. De poenis.

§. 11, De Episcoporum depositione.

Singulare est in Episcopis, ut causæ criminales contra eos, qui depositione aut privatione digni sunt, ab ipso tantum summo Romano Pontifice

trunc cognosci & terminari debeant, nisi necessarii extra Rom. curiam committenda essent; quo casu solis Metropolitanis vel Episcopis committuntur; ita tamen, ut hi non nisi facti instructionem sumant, processumque conficiant, reservata eidem Sanctissimo sententiâ definitivâ, Conc. Trid. sess. 24, c. 5 de reform. ubi & latius quid olim vide can. 3, cum seq. xv. q. 7.

§. 12, De crimine assassinii.

Sanè & in crimine assassinii illud peculiare est, quod Prælati, alique Clerici ob hoc scelus ipso facto, absque alia sententiâ, ordine & beneficio suo exuuntur, c. 1, De homic. lib. 6, ubi latius: quemadmodum & ob artem jocularioriam, si per annum eam exercuerint, juxta text. in cap. 1, De vita & honest. cler. in 6, a

Notatio in Tit. 22.

a Vide Andr. Tirac. in tract. de pœnis, lul. Clar. in pract. crim. q. 60, ibid. Batar. & Ant. Gomez. Var. resol. tomo 3, c. 1, ubi latè de his circumstantiis. Adde & de iure Canonico crimen per inquisitionem probatum, non coerceri ordinariâ pœnâ, sed mitiori, c. Inquisitionis 21, circ. ptinc. Ext. De accus. Quod & comprobant Clar. d. q. 60, n. 33, & Gomez. d. c. 1, n. 51, quos latius vide, & Covarr. lib. 2, var. resol. c. 10, o. 5, De iure verò Civili nulla distinctio est, utrum per viam inquisitionis, aut accusationis processum sit. Nam utroque pœna ordinaria locus est, ut ex omnium confessione tradit lul. Clar. d. loco.

b Vi hinc notandum sit, merum imperium delegari per Clericos iurisdictionem temporalem habentes, uti sunt Episcopi Germaniæ nostræ, qui & jura Principum secularium habent, haud dubiè ex concessione Imperatoris, cujus quoad temporalia vassalli sunt. Cum autem ea, qua meri sunt imperii (utpote cognoscere & coercere publica crimina, l. 1, De offic. ejus, l. 1, Solet 6, D, De offic. Proconsul. & l. 1, D, De iurisd. omni jud. jcut & sup. annot. tit. 18,) per se exercere non possint, propter metum irregularitatis, videtur tacitè, si non expressè Imperator eis indulisse, ut per laicos, tamquam delegatos suos, merum imperium exercere possint, ne frustra penes eos sit hoc imperium.

g Hic tertius casus desumptus ex can. Si quis Sacerdotum x1, q. 1. si nudè inspicatur, videtur continere magnam iniquitatem, ut scilicet Clericus propter simpli-

tem injuriam illatam Episcopo actualiter degradetur, & curia seculari relinquatur, cum tamen propter homicidium, aut larocinium nulla actualis degradatio fiat, sed depositio verbalis, c. Cum non ab homine Ext. De jud. & c. Tuæ 6, Ext. De pœnis. Ideoque exaudiri debet de eo Clerico, qui se corrigi non patitur, secundum Gl. ad d. c. Cum non ab homine, & communem opinionem, teste Panorm. ad c. At si clericus Ext. d. tit. De jud. n. 37, adde & text. in can. Clericus 111, q. 4.

d Assassini sunt infideles, certum hominum genus, qui in perniciem aliorum Christianorum à Clericis vel laicis conducuntur. De quibus Did. Covarr. lib. 2, Var. resol. cap. 20, n. 10. & Mart. Navar. in Manuali c. 17, n. 136, Vulgè aliter accipiuntur, ut videre est apud lul. Clar. in §. Assassinium; sed male, ut est apud eundem Covarr. d. loco.

e Vide §. præterquam inf. De iudiciis, & que ibi notavimus. Sunt qui alium casum his atqueunt ex Extr. Leonis X, qua extat apud Chassan. in Consuet. Burgund. tit. de inst. §. n. 51, & Boer. decif. 69, in fine, quæ Clericos, deserto habitu & tonsurâ Clericali, delinquentes per iudicem secularem capi ac puniri posse existimant. Sed præterquam quòd ea Extravagans generalis non sit, sed localis pro regno Francia, concernit tantùm Clericos in minoribus ordinibus constitutos, saltem quoad punitionem eorum attinet. His enim verbis est apud Chassan. Si tempore perpetrati eorum delicti & per quatuor menses antè in habitu & tonsura clericali non inceserint, & c. per iudicem secularem liberè & licitè capi, inquiri, distringi, & si in sacris non fuerint, etiam puniri possint. Quæ posteriora verba, Et si in sacris, & c. detracta sunt apud Boer. ubi & tempus editionis adscribitur, Anno 1506, cum tamen constet Leonem X. primum Anno 1513, renuntiatum fuisse summum Pontificem. Quod hinc adicere placuit, ad convellendum eorum errorem, qui generaliter ad omnes Clericos hanc Extrav. pertinere existimant. Ceterùm videatur Conc. Trid. sess. 2, c. 6, de reform. ubi decernitur, quando Clericus prima tonsurâ aut in minoribus Ordinibus constitutus gaudeat privilegio fori.

✽ ✽

DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS, SVSPENSIONIS ET
INTERDICTI.

TITULUS XXIII.

§. 1. Censura Ecclesiastica qua.

POENÆ, quæ à SS. Canonibus, vel iudicibus Ecclesiasticis frequentius indignantur, sunt Excommunicatio, Suspendio, & Interdictum; quæ censura Ecclesiastica vocantur, c. Quaranti 20, Ext. de verb. signa.

§. 2. Excommunicatio quid sit & quotuplex.

Excommunicatio est Christiani hominis à corpore Ecclesiæ, vel saltem à perceptione Sacramentorum ejus exclusio, cap. Omnis Christianus, cum can. seq. & can. Qui vero xi, q. 3. Est enim Excommunicatio duplex; una, quæ major dicitur, altera, quæ minor. Major à communione Ecclesiæ, id est, fidelium submovet, c. pen. Ext. De sent. excom. quæ & idcirco Anathema, hoc est, æternæ mortis damnatio dicitur, in can. Nemo Episcoporum d. q. 3. licet & quandoque anathema latius sumatur, etiam pro excommunicatione minore, ut in can. Quoniam multos d. q. 3. & pro publica & solemnī execratione, quæ fit à Præfato Ecclesiæ contra prius excommunicatum, in extremam quamdam detestationem ejus, ut in e. Cum non ab homine 10, Ext. De jud. latè Covarr. ad cap. Alma mater in 1. p. §. 8, n. 6, cum seq. Minor excommunicatio tantum separat à perceptione Sacramentorum Ecclesiasticorum, d. c. penult.

§. 3. Excommunicatio à jure, vel ab homine infertur.

Infertur excommunicatio, vel à jure, vel ab homine. A jure, cum quis ipso facto, absque iudicis ministerio, excommunicationi subditus; quæ & idcirco latè sententiæ excommunicatio nominatur. Quæ feruntur heretici & eorum receptatores & fautores; falsarii literarum Apostolicarum; percussores Clericorum; simoniaci, & alii quamplures, sicuti constat ex superiorib. tit. ubi de delictis egimus, & latius refert Hostiensis in Summa hujus tit. §. 5, & Navarr. in Manuali, 27, n. 46, cum seqq. eorumque excommunicatio major dicitur. Minore verò excommunicatione ipso jure afficiuntur, qui communicant excommunicato majore

excommunicatione, c. 3, h. 1. in 6, c. Nuper à vobis 29, vers. in secundo Ext. hoc tit. Nisi & in eodem crimine cum eo communicarent. Nam hac specie & in eadem excommunicationem majorem inciderent, d. c. Nuper c. Si concubina Ext. hoc tit. Ab homine excommunicatio infertur, cum Præfatus vel alius Judex Ecclesiasticus inobedientem sive contumacem sententia sua excommunicat: servata tamen forma generalis Conailii Lateranensis, ut scilicet non prius sententiam ferat, quam præmissis tribus monitionibus, vel una pro omnia, cum justo dierum intervallo, nisi forte necessitas facti aliud suaderet, c. Sacro 48, Ext. h. tit. juncto c. Constit. 9, sod. in 6. Quia in te quoque minimè negligenda est Concilii Tridentini moderatio, qua Judex Ecclesiasticus in causis civilibus & criminalibus prohibetur uti excommunicatione, nisi in subsidium. Vide omnino Conc. Trid. sess. 25, c. 3, de reform.

§. 4. Communicantes cum excommunicato qui excusantur.

Quod autem dictum est, communicantes cum excommunicato majore excommunicatione, minorem incurrere; perpetuum non est. Nam ex Gregorii VII. constitutione ab ea eximuntur uxores, liberi, servi, ancillæ, seu mancipia, nec non rustici servientes, & omnes alii, qui non ad eum curiales sunt, ut eorum consilio scelera perpetrentur, & ii, qui ignorantèr excommunicatis communicant, sive illi, qui communicant cum eis, qui excommunicatis communicant, can. Quoniam multos xi, q. 13. Item peregrini propter necessitatem, & qui humanitatis intuitu aliquid dant excommunicatis, d. can. Quoniam multos. Accedant his creditor debitoris excommunicati, cap. Intelleximus 7, Ext. De jud. cap. Si verò 34, Ext. hoc tit. cap. Excommunicatus 13, §. credentes Ext. De heret. cap. Cum inter 5, Ext. De except. quive excommunicato in his, quæ ad absolutionem vel alias ad salutem animæ pertinent, in locutione participat; licet etiam alia verba incidenter (ut apud

cum magis proficiat) interponat, *cap. Cum voluntate 54, cap. Responso 43, Ext. hoc tit. vide de his la-
tius Navar. in Manuali cap. 27, num. 26, cum seqq.*
Hi enim omnes impuam communicant cum ex-
communicatis, secundum predicta jura.

§, 5, Extravagans Martini V. quæ & alii
excusantur.

Sanctæ ex Martini V. constitutione nemini
interdictum est communicare excommunicato,
antequam hic specialiter & expressè denuntiatus
sit à iudice; vel manifestè constet, eum incurrisse
excommunicationem, ita quòd nullo modo ter-
giversari possit. Verba Constitutionis, cum
præterea aliud continent, hic à nobis referenda
sunt: Ad evitanda multa scandala & multa peri-
cula, & subveniendum conscientis timoratis, con-
stituitur; ut nemo posthac teneatur abstinere &
separare se, neque evitare communicationem ali-
cujus in administrando aut recipiendo Sacramen-
to, aut in aliis divinis officiis, aut extra illa; ra-
tione alicujus sententiæ, aut censuræ Ecclesiasti-
cæ, aut suspensionis, aut prohibitionis ab homi-
ne aut à jure generaliter promulgatæ: neque ser-
vare interdictum Ecclesiasticum; si illa talis sen-
tentia, prohibitio, suspensio aut censura non fue-
rit promulgata aut denunciata specialiter & ex-
pressè à iudice contra certam aliquam personam,
collegium, universitatem, Ecclesiam aut locum
certum aut certam: neque manifestè constet in-
currisse in sententiam excommunicationis, quod
nullo modo potest occultari, aut per aliquod
remedium juris excusari: quia à communione
hujus vult quòd se separent, juxta Canonicas
constitutiones. Per hoc tamen non intendimus
relevare neque juvare sic excommunicatos, sus-
pensos, interdictos aut prohibitos. *Extat. apud
Mart. Navar. in Manuali cap. 27, num. 33, Vide &
Did. Covarr. ad cap. Alma mater De sent. excom. in 6,
p. 1, Parag. 2, n. 7.*

§, 6, Suspensio quid, & quod duplex.

Suspensio est censura Ecclesiastica, *cap. Quaranti
20, Ext. De verb. sig. quæ personæ Ecclesiasticæ in-
terdicuntur exercitium sui officii vel beneficii, vel
utriusque simul, in totum vel pro parte, ad cer-
tum tempus vel in perpetuum, cap. Tuarum 11,
Ext. De privil. & colligitur ex exemplis à Glos. addu-
ctis ad d. l. cap. 3, in verb. suspensi De poen. in Clem.
Idque interdum à jure fit, interdum à iudice Ec-
clesiastico, cap. Reprehensibilis 26, Ext. De appella-*

tionib. Unde suspensio alia Canonis est, alia Iudi-
cis, sicut & de Excommunicatione supra diximus,
tit. 80x. Parag. infertur.

§, 7, Suspensio quibus ex causis & quæ for-
ma fiat.

A jure variis ex causis suspensio fit, uti videre
est apud alios, qui eas congefferunt, *Glos. d. loco,
Sylvest. in 7. Suspensionum. 6. Navar. in Manuali
cap. 27, num. 154, & sup. suis locis meminimus.* A
iudice, quando is culpa exigente suspensionem in
aliquem profert; quod tamen scripto facere debet,
expressa & præcedente monitione, *cap. 1, De sent.
excom. in 6, juncto d. cap. Reprehensibilis, de quo latius
Navar. d. cap. 27, n. 159.*

§, 8, Suspensio irregularitatem incurrit, si exercet
interdictum officium.

Is autem, qui aliquem actum officii sui, à quo
suspensus est, exercet irregularitatem incurrit,
quæ non nisi per Summum Pontificem liberatur,
*cap. 1, De sent. & re jud. in d. cap. 1, De sent. excom. lib.
6, a Nisi quòd hodie ex concessione Concilii
Tridentini etiam Episcopis permittum sit in ire-
gularitatibus omnibus & suspensionibus, ex deli-
cto originis provenientibus (excepta ea, quæ ori-
tur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis de-
ductis ad forum contentiosum) dispensare, text. est
in cap. 6, sess. 24, de reformat. vide notatorem ad §,
quarto sup. Quib. Eccles. ordinet rectè confer.*

§, 9, Irregularitas quid.

Est autem irregularitas (ut hic obiter infera-
mus) impedimentum Canonicum, quo quis pro-
hibetur ordinem Ecclesiasticum suscipere, aut in
suscepto ministrare, *de qua fuse apud Navar. d. cap.
27, num. 191, cum seqq. Covarr. ad d. cap. Si furiosus
in princ.*

§, 10, Interdictum quid & quod duplex sit.

Interdictum est censura Ecclesiastica, *cap. Quar-
renti 20, Ext. De verb. sig. quæ certis personis aut
loco, divinis officiis & sepultura, Sacramento-
rumque administratione aut perceptione interdi-
citur, à jure, vel à iudice Ecclesiastico, colligitur ex
cap. fin. cap. Si sententia 16, cum seqq. De sent. excom.
lib. 6, & ex infra citandis.* Undè & interdictum aliud
est Iuris, aliud Iudicis, *d. cap. fin.* Item aliud Perio-
nale, aliud Locale, *d. c. Si sententia.*

§, 11, Quibus casibus ipso jure interdictum
feratur.

Inter:

Interdictum à jure proferatur in civitatem, sive aliam universitatem; puta, si portorium ex rebus Ecclesiarum vel Ecclesiasticorum, quas negotiationis causa non deferunt, exegerit, vel extorserit, *cap. pen. De consib. in 6.* vel si repressalias aduersus Ecclesiasticas personas concesserit; *cap. 1. De injur. eod. lib. 6.* vel si civitas hostiliter infecuta fuerit aut ceperit Cardinalem Romanæ Ecclesiæ vel Episcopum suum, sive aliis facientibus opem rulerit, suaserit, vel consuluerit, *cap. fin. De pœnis lib. 6. cap. 1. De pœnis in Clemen.* vel si civitas in electione Romani Pontificis (cùm eo mortuo apud se electio celebranda est) non observaverit, quæ servanda jubet *cap. Vbi periculum De elect. lib. 6.* Item si domus territorii legatum vel Nuncium Apostolicum non admiserit. Nam ejus ditiones interdicto Ecclesiastico subjiuntur, *cap. 1. De consuet. in Extravag. commun.* His igitur casibus, & similibus, interdictum Ecclesiasticum ipso jure inferitur, *dist. i. jurib. quar. vide, & quidem latius.*

§. 12. De interdicto iudicis.

Interdictum verò à iudice Ecclesiastico non nisi ex causa, eaque scripto interdicti comprehensa ferri debet, *cap. 1. De sentent. excom. in 6.* non tamen ex causa pecuniaria, *cap. 2. De sent. excom. in Extravag. commun.* aut ob culpam privati alicujus hominis, *ex decreto Concilii Basili. relato à Covarr. ad cap. Alma mater,* sed propter culpam ejus, qui loci dominus est, aut in eo jurisdictionem habet, *cap. Non nisi 11. Extr. De sponsalib. cap. Si sententia 16. De sent. excom. lib. 6.*

§. 13. Interdictum in personas, vel in locum quousque se extendat.

Cùm igitur interdictum aliquando in personas, aliquando in locum proferatur, videndum hic est, quousque se utrumque extendat. Et extat duplex constitutio Bonifacii VIII. rem luculenter explicans. Prioris verba hæc sunt: Si sententia interdicti proferatur in clerum, non intelligitur (nisi aliud sit expressum in ea) interdictus populus, nec etiam è converso; undè uno interdicto ipsorum, alius licitè admittitur ad divina. Cæterum cùm propter delictum domini vel rectoris, est civitas interdicta, ciyes ejusdem (qui culpabiles non existunt, dummodò & ipsi propter dominum vel rectorem puniendum in eis non fuerint interdicti) possunt extra ipsam licitè interesse divinis. Cùm verò alicujus terræ populus interdicto nota-

tur, singulares ex eo personæ, quas interdictas esse constat (ne sententia effectus careat, cùm divinorum auditio & Sacramentorum perceptio populo ut universis non competant) non debent alicubi (casibus expressis à jure dumtaxat exceptis) audire divina, vel Ecclesiastica recipere Sacramenta, *text. est ind. cap. Sententia 16. De sent. excom. lib. 6.*

Posterioris constitutionis verba hæc sunt: Si civitas, castrum, aut villa subjiungatur Ecclesiastico interdicto, illorum suburbia & continentia ædificiaco ipso intelligi volumus interdicta. Nam licet prædicta videantur aliàs murorum ambitu terminari: hoc tamen casu ne vilipendi valeat sententia interdicti (quòd fieret, si posset in ipsorum suburbiiis vel continentibus ædificiis licitè celebrari, ut prius) expedit interpretatione fieri latiorè Ratione quoque simili, si sit Ecclesia interdicto supposita, vel subiecta, nec in capella ejus celebrari, nec in cœmeterio ipsius eidem Ecclesiæ contiguus poterit sepeliri: secus, si ei contigua non existant, *text. in c. Si civitas 17. De sent. excom. lib. 6.*

§. 14. Tempore interdicti qua Sacramenta, & qualiter officia Ecclesiastica administrari possint.

Non tamen interdicti tempore omnia Sacramenta & divina officia interdicta sunt, sed permittitur Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, Eucharistia, (sed duo posteriora dumtaxat morientibus, *cap. Quoniam 19. eod. in 6. cap. Responso 43. Extr. eod.*) item Missæ, aliorumque officiorum divinorum celebratio, *cap. Quod in 20. Extr. De pœnis. & remiss. d. cap. Responso, cap. fin. vers. concedimus eod. in 6.* dummodò submissa voce, januis clausis, & campanis non pulsatis, dicantur, *d. cap. fin. præterquam in festivitatibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes & Assumptionis D. Virginis,* quibus divinorum officiorum celebratio etiam pulsatis campanis, apertis januis, altæque voce admittitur; sicut latius ejusdem Bonifacii VIII. constitutione continetur, *in d. cap. fin. Adde & solemnitatem Corporis Christi & ejus octavam per Extravag. Martini V. Eugenii IV. teste Sylvestro in V Interdictum §. n. 2. Vide de his omnibus Covarr. ad c. Alma mater De sent. excom. lib. 6.*

§. 15. De pœna interdicti violati.

Is verò, qui scienter in loco celebrat supposito interdicto (nisi super hoc privilegiatus existat,

stat, aut à iure sit concessam eidem, ut *sup. in §. proximo,*) irregularitatem incurrit; à qua nequit per alium, quàm per Romanum Pontificem liberari: & ad eò efficitur ineligibilis, quòd nec ad eligendum cum aliis debeat admitti, *cap. Is qui 18, Parag. fin. eod. tit. lib. 6.* Et religiosi tam exempti quàm non exempti, iuxta *cap. 1. & cap. 3, eod. tit. in Clem. iunior. cap. 12, Concil. Trid. sess. 25, de regularib.* Item domini locorum interdictum violantes, excommunicationis sententiã perstringuntur, iuxta *cap. 2, eod. in Clem. sãlyã* tamen constitutione Martini V. quam suprà recitavimus, *eod. §. sanò.*

§. 16. Ratio ordinis ad sequentes titulos.

Et hæc hætenus de duabus Juris Canonici partibus, videlicet de personis & de rebus: proximum erat, ut de tertia parte, quæ est de iudiciis, consequenter videremus; sed quia sæpè accidit, ut litigatur metu iudiciorum ad pacta vel transactiones transcant, aut in arbitros compromittant, idcirco de his prius dispiciamus.

Notatio in Tit. 23.

a. Idque dubium nan est in duobus casibus expressis

in *cap. 1, De sent. & re iud. in 6, & d. cap. 1, De sent. excom. lib. 6.* Sed an idem obtineat in ceteris suspensionibus, merito addubitari possit. Is propter *cap. 1, qui 18, in verbis, eum id non sit expressum in iure, De sent. excom. lib. 6.* Nihilominus putat Innocens. communiter receptus, habere locum in omnibus alii violentiibus suspensionem, prout refert eum Navar. in *Manuali cap. 27, num. 163.* Idem existimant Covar. in *Clem. Sifuriosus in 1. p. §. 1, De homicid. ubi pro regula iuris Pontificii tradit, quòd suspensus ab officio, si eius ministerium exequatur, aut in eo ministret, sit irregularis, adducit, d. cap. 1, De sent. & re iud. & d. cap. 1, De sent. excomm. ubi lasè explicat. Hoc igitur secuti sumus in textu; sed non sine scrupulo, iudicium alii deferentes.*

b. Notandum est, irregularitatem non incurri nisi in casibus expressis à iure, per text. in *d. c. Is qui 18, De sent. excomm. lib. 6.* Etenim odiosa restringenda sunt, non amplianda, *cap. Odia De reg. iur. in 6.* Hinc si quis prohibitus sit tantummodo à iure, ne initiatur Sacerdotio, non ideo prohiberi debet à Diaconatu, Subdiaconatu, & reliquis Ordinibus inferioribus Quatre Canonibus, quibus irregularitas inducitur, diligenter inspicendi sunt, quorum magnum numerum citavimus supra *lib. 1, tit. 7, Vide Greg. de Valentia, tomo 4, commentar. Theolog. disp. 7, quaest. 19, de irregularitate.*

DE FACTIS ET TRANSACTIONIBUS.

TITULUS XXIV.

§. 1. Pactum quid, & in quo distet à Transactione.

Pactum est duorum pluriumve in idem placitum & consensus, *l. 1, in princ. D. De pact. & l. 3, D. De pollicitat.* Distat autem à Transactione in eo, quòd qui paciscitur, donationis causa rem certam & indubitam liberalitate remittit. Qui vero transigit, non gratuitò, sed dato aliquo, vel retento, vel promisso, *l. Transactio 38, C. De transact.*

§. 2. Pactum & Transactionem servanda esse.

Utique hoc commune est, quòd tam pactum quàm transactio semel in ita servanda sint, *d. l. 1, De pact. cap. 1, & cap. 3, Ext. eod. l. Causas 16, l. Non*

minorum 20, C. De transact. siquidem grave est fir- dem fallere, *l. 1, in princ. D. De constit. pecun. & d. l. Non minorum 20, eod. ut & privilegio Principis per pactum aut transactionem derogetur, c. 1, De pact. lib. 6, c. 1, Ext. De transact.*

§. 3. Pactum, ne bonis moribus aut iuri adversetur: quamvis quod iuri tantum adversum est, iuramento confirmetur.

In pacto id perpetuò retinendum est, ne bonis moribus aut iuri adversetur, *e. fin. Ext. De pact. l. Pactum 6, C. eod.* Neque enim hæc pacta valentur

ut dolus præstetur, ne furti agatur vel injuria-
rum, si furtum vel injuria fiat, l. Si unum 27, Parag.
illud cum Parag. leg. D. De pact. Item ut beneficium
Ecclesiasticum acceptâ pecuniâ resignetur, c. 4.
Ext. eod. Item pactum cum filia iocum, ut dote
contenta, hereditate patris absteineat, Pactum do-
tali 3, C. De collat. aut cum uxore, ut marito liceat
alienare rem dotalem aut donatam propter nu-
ptias, Auth. Si ve à me. C. Ad S. C. Velleian. l. unica
Parag. penult. C. De rei uxor. atq. cum tria priora pa-
cta turpia sint, posteriora verò juri adversa.
Quamvis in his posterioribus receptum sit, quòd
jurisjurandi accensione confirmantur, c. Quamvis
De pact. lib. 6, c. Cum contingat. 28, De iur. iur. c. 2,
De iur. iur. lib. 6, propter juris regulam, qua jube-
tur omne juramentum servari, quòd non vergit
in dispendium salutis æternæ, neque redundat in
alterius præjudicium, d. c. Quamvis & d. c. Cum
contingat in fine. x

¶ 4. Idem in transactione, veluti in causa benefi-
ciali aut matrimoniali.

In transactione similiter animadvertendum
est, ne hæc contra bonos mores, aut de re, quæ
transactionem non admittit, interponatur: ve-

luti in causa spirituali, in qua transactio speciem
simoniae continet, c. 4, c. 6, & c. 10, Ext. De trans-
act. licet in ea amicabile & gratuita compositio
non improbetur, c. 9, Ext. eod. At in matrimonio
nulla transactio, nullaque compositio admitti-
tur, c. fin. eod. De transact. Si enim legitime semel
contractum est matrimonium, amplius dissolvi
non potest, can. Præcipit. can. Præceptum xxxii. qua.
5. si illegitime, id est, contra sacros Canones ini-
tum, reconciliari non potest transactione vel
compositione partium, c. Non debet 8, in fine Ext.
De conf. & affin.

Notatio in Tit. 24.

¶ Nec est, quòd quis nobis succenscat, quòd hanc
vim juramento tribuimus; cum & jure civili resti-
tutio in integrum, quæ aequitate naturali iuratur, l. 1. D.
De minorib. & tot. legibus confirmata & recepta est,
solum juramenti adjectione excludatur, l. 1, & Auth.
Sacramenta pub. C. Si adversus vendit & l. 3, C.
Si minor se major. dix. Et ratio iustitiae nostri eadem
est qua est d. l. 1, videlicet, perfidia & perjurius, qui-
bus se obstringit juramenti transgressor. Quod libuit
hic obiter meminisse contra Molyneum, quem citat &
sequitur Mynsing. cent. 6, obs. 62, in fine.

DE ARBITRIS.

TITULUS XXV.

§. I. Arbitri qui.

Arbitri hoc loco dicuntur, qui ex con-
ventionione partium sumuntur ad dirimen-
dam controversiam, qui in Dig. & in Cod.
vocantur arbitri recepti, ut De recept. arbitr. quòd
ex recepto, id est, ex compromisso, assumantur,
l. Rem non novam 12. circa princ. C. de judic. Quòd
factum est, ut & hi arbitri compromissarii appel-
lentur.

¶ 2. Quo numero assumi possint arbitri.

Assumi autem possunt, unus vel plures, parti-
vel impari numero, c. 1, & passim Ext. hoc tit. quam-
vis expediri sit, impari numero eos sumi; ut, si
omnes non consentiant, inveniatur saltem ma-
jor pars, cujus arbitrio fletur. In paribus ferè re-
sue exitu est, propter naturam hominum ad
dissentendum facilitatem, l. Item si unus 19, in
princ. D. hoc tit.

¶ 3. Arbitri, ubi in sententia non conveniunt.

Hinc, si ex tribus arbitris duo in decem & ter-
tius in quinque condemnent, prævalet senten-
tia duorum: licet si unus in quindecim, alter in
decem, & tertius in quinque pronuntiant, hu-
jus sententia præferatur, cum & alii duo in hanc
summam, quæ majori inest, unâ concurrant, c. 1,
eod. lib. 6.

¶ 4. Præsentia arbitratorum an necessaria.

Debent autem omnes arbitri adesse; alioquin,
uno absente, sententia aliorum licet consentien-
tium non valet; cum in omnes compromissum
sit, l. Si in tres 20, D. h. nisi in compromisso adje-
ctum esset, ut si unus vel alter abesset, reliqui ni-
hilominus procederent, l. Non distinguimus 37, §.
cum in plures D. eod. aut nisi absens legitime requi-
situs

XXX 3

litus

fitus nolit adesse causæ cognitioni vel definitioni. Nam his casibus ceteri præsententes poterunt causam cognoscere & decidere; cum hujus absentia per præsentiam divinam repleatur. Quod posterius ex benignitate Juris Canonici receptum est, *c. 2, eod. in 6. contra Jus Civile, in d. f. Si in tres.*

§. 5. Qui arbitri eligendi

Nihil autem interest, qui arbitri eligantur, dummodo non sint improbi: quales sunt servi, *l. Padius 7, Parag. 1, D. eod. mulieres, l. fin. C. eod.* (nisi tamen hæc jurisdictionem habeant ex consuetudine loci, *c. Dilecti 4. Ext. eod.*) item furiosi, surdi, muti, *l. Sed etsi in servum 9, Parag. 3, D. eod. minores 20, annis, l. Cum lege 46, D. eod. excommunicati*, cum hi à fidelium communione exclusi sint, *c. penult. De sentent. excom. junctâ tamen moderatione Parag. sanè sup. eod. tit.* Alii verò rectè eliguntur, sive ingenui sint, sive libertini; sive integræ famæ, sive ignominiosi, *d. l. Padius in prin. sive patres familiarum, sive filii familiarum, et jam jure patris, l. 5, & 6, D. eod. item sive Clerici sint, sive laici, etiam inter Clericos; dum tamen inter Clericos laici in causa civili sumantur. Nam in laicos de re spirituali compromitti non potest, *cap. Contingat 8, Ext. eod. nisi conjunctim cum Clerico, ex auctoritate judicis Ecclesiastici, c. Per suas 19, eod. & ibi Imola num. 7.**

§. 6. An in judicem compromitti possit.

Sed an in judicem de ea re, in qua judex est, compromitti possit? controvertunt quidem alii, propter text. in *l. Sed & si 19, Parag. 1, D. eod. vide Imol. ad c. Cum tempore Ext. eod. & Hostienf. in Summamum. 3. Nobis exploratius est, posse, sive loquamur de delegato judice, sive de ordinario, *d. cap. Cum tempore & ibi Gloss. in c. Cum olim 7, c. Ex parte 10, eod. c. Literas 14, Ext. De præsumpt. dum tamen id sponte fiat à partibus, non jubente judice,**

quo sensu accipiendus est text. in *d. Parag. 1. Cujus rei utilitas in eo vertitur, quòd non appelletur à sententia arbitri, l. 1, C. De recept. arb. nisi in casu 8. adde in sine inf. de appell. & pœnæ petitio detur, si qua (ut fieri solet) adjecta sit compromisso, l. 2, D. eod. c. 4, & c. 9, Ext. hoc tit.*

§. 7. Arbitrorum sententia standum est, sive æqua sive iniqua; exceptis casibus hic relatis.

Et quia arbitri ex consensu partium sumuntur, standum est eorum sententiæ, sive æquam, sive iniquam dixerint, a; cum sibi imputare partes debeant, quòd meliores non elegerint, *l. Dum proferre 33, Parag. stari D. De recept. arb. l. Societatem 77, Parag. fin. D. Pro socio, junctâ l. Quod quis ex culpa D. De R. I. nisi forte arbitri præscriptam compromissi formam exceßerint, c. Cum dilectus 6. Ext. hoc tit. l. Non distinguemus 32, Parag. de officio cum Parag. & l. seq. D. eod. aut sordibus vel gratiâ ducti, sententiam tulerint, l. 3, C. eod. l. Ita demum 36, D. eod. & ibi latius, aut non observato judicii ordine processerint; cum arbitria ad similitudinem judiciorum redacta sint, l. 1, & ibi Gloss. ac Dd. D. eod. junctâ l. Prolatam C. De sentent. & interlocut.*

§. 8. De quibus compromitti non potest.

Ad extremum, de causa matrimoniali, liberali & criminali compromitti non potest; cum majores judices requirant, textus in *c. Causa 9, Ext. De in integr. restitut. d. l. Non distinguemus Parag. Julia ubi additur actio popularis, ut nec de ea compromitti possit. Qua autem illa sit, vide Gloss. & Dd. ad l. 1, D. De popul. actionib.*

Notatio in Tit. ult.

Hoc accipiendum est, quòd jus partis, quæ laesa est, non autem quoad jus scriptum, sive non scriptum, id est, consuetudinem, sicut probat textus in *l. Rem novam 12, C. De jud. & ibi Salicet.*

FINS LIB. TERTII.